PALLI



OPERE DEL CESAROTTI

VOLUME XXXI.

A soldi 3, danari 4 il foglio; a norma del Manifesto.

Fogli 20	L. 3. 6. 8
Legatura	„ — 6. 8
	L. 3. 13. 4
Paoli	5. 1/2 -

OPERE

DELL' ABATE

MELCHIOR CESAROTTI

PADOVANO

VOLUME XXXI.

DE LINGUA

ET ELOQUENTIA

PRÆCIPUE GRECA

ACROASES

IN PATAVINO ARCHIGYMNASIO

PUBLICE HABITÆ

A M. CESAROTTI.

ACCEDUNT EXCERPTA NONNULLA
ET DIALOGUS.

FLORENTIÆ
TYPIS MOLINI, LANDI ET SOC.
MDCCCX.

ACROASES
IN PATAVINO ARCHIGYMNASIO
PUBLICE HABITAE

DE

LINGUARUM STUDII
ORIGINE, PROGRESSU,
VICIBUS, PRETIO.

ORATIO HABITA IN GYMNASIO PATAVINO XVI. KAL. FEBRUARIAS ANNO MDCCLXIX.

I. Quemadmodum in civili societate nihil deterius tyrannide, nihil fædius, quâ, capite in immensum excrescente, reliqua civitatis membra vitali spiritu defecta tabescunt; ita in litterariâ Republicâ nihil exitiosum magis, nihil a vero atque utili, qui duo sunt omnis litteraturæ fines, magis abhorrens, quam ubi disciplina aliqua altius quam par est præjudicatis hominum opinionibus evecta, suo pondere cæteras prægravat, iisque aut ludibrio habitis aut in servitutem redactis impotenti imperio dominatur. Cum enim optima humanæ mentis constitutio ab optimo cujusque facultatis habitu cultuque pendeat; nulla porro sit ars, nulla scientia quæ non aut pascendæ

utilibus rebus memoriæ, aut exsuscitandæ gubernandæque phantasiæ, aut acuendo roborandoque ingenio plurimum conferat; profecto, qui in aliquâ disciplinâ defixus cæteras posthabet, idem propemodum agit, ac si quis rectissime suæ valetudini consultum putaret vividis ac vigentibus oculis, cum interea reliquæ corporis partes lethali stupore obtorpescerent. Et quoniam alii plerumque ad alia naturâ ferimur, nec, æquo saltem gradu, in diversis excellere nisi paucissimis datum, erat id e communi omnium re debito laudis præmio singulos allicere, ut spartam, quantiscunque viribus possent, ornarent suam, quô, minore impendio, haustis etiam ab alieno fonte rivulis, provinciæ nostræ hortuli irrigarentur. Verum nimis multi mortalium a *philautia* in transversum acti, suam in aliquâ arte peritiam ipsius dignitatis mensuram rati, impetrare a se ipsis non possunt, ut alicujus pretii arbitrentur quod ipsi aut ignorent, aut minus calleant, solentque contemptu et calumniis ejus disciplinæ inurbanitatem ulcisci, quæ ultro suas aliis opes recluserit, cum se se beatissimis ipsorum ingeniis præbuerit difficiliorem. Hinc præpostera de hominibus rebusque judicia, hinc odiosæ atque ineptæ studiorum inter se con-

tentiones, hinc rixæ et convicia, quibus fit, ut cordatos viros litteratorum nominis prope suppudeat; torpescere ingenia suâ gloriæ portione fraudata, aut ad studia non sua invitâ Minervâ transfugere; depauperari res litteraria multis gnavis atque industriis civibus; postremo doctrina ipsa, quam unice deosculamur, aut alienis auxiliis destituta gracilescere, aut cæco studio fota atque exculta naturam exuere et corrumpi. Est enim unicuique scientiæ certa vis, certa facultas, certi tum usus, tum fines ab ipsâ rerum naturâ constituti, quos si forte transiliat, næ illa aut nebulas captet necesse est, aut pro sinceris et solidis adulterinos ac monstrosos fœtus extundat. Difficillimum porro est non plus quam potest ei disciplinæ confidere, quam plus quam decet æstimamus: neque mehercule aliunde crediderim aut absurda Astrologorum deliramenta, aut Magiæ superstitiosa mysteria, aut Alchymistarum præstigias, aut denique primis Ecclesiæ sæculis Philosophorum in Theologicis rebus hæreses ortum duxisse, nisi ab immodicâ optimarum scientiarum admiratione, quâ homines majora earum viribus sibi polliceri ausi, recto veritatis tramite relicto, per devia, invia, præcipitia, negatam hominibus viam affecta-

runt. Neque vero tantopere ambitiosa, quæcunque ea sit, disciplina injusto fastidio, quantum identidem officiosâ sedulitate cæteris nocet. Non enim ab aliis artibus quod sibi opus est pudenter ac benevole mutuatur; verum dictatoriâ auctoritate alienæ provinciæ fines ingressa, sua iis invitis principia obtrudit, easque miscere, interpolare, refingere sui juris putat, cumque illas satagendo egregie perverterit, tum se de iis optime meritam magnifice jactat. Hac olim fidentiâ Aristoxenus, hac Pythagoras, alter musicis rationibus, alter numerorum mysteriis, animæ naturam explicare aggressi; hac alii temporibus nostris Geometrarum normam et circinum in alienissima studia intulere; alii poeticas res ad jejunas Logicorum regulas exigere; alii demum severiorum doctrinarum vim acutis et concinnis sensiculis infringere, et veritatis verendum os declamatoriis pigmentis illinere non dubitarunt. Longe alia profecto sunt divinæ illius Philosophiæ effata, quæ nullis finibus coercita, non secus ac mundana Stoicorum anima, inertem eruditionis molem permeat atque agitat, seseque in omnia omnigenarum disciplinarum ora transformat. Ea nimirum inesse prædicat artibus, studiis, doctrinis omnibus dignitatem suam, suum pre-

tium, adnata iis esse vitia, non insita, fixa singulis stare principia, neque eas alienis adulterandas, sed perficiendas suis; nullam esse tam sterilem quæ philosophico spiritu exculta non lætissimo proventu cultorum labores rependat, nullam quæ scholasticis angustiis adstricta non sterilescat; nihil esse cur alia aliis invidiose præferatur, cum omnes ejusdem sint aut instrumenta, aut præsidia, aut ornamenta rationis, sintque et ad eam absolvendam omnes, et ad se se invicem locupletandas altera alteri æque necessariæ; ex omnium denique mutuo nexu, quasi continenti annulorum serie, mysticam illam sapientiæ catenam contexi, quà naturam omnem circumplexâ et mentis perfectio et vitæ beatitas continetur. Hujusmodi voces aliquanto serius, quam par erat, exaudiri cæptæ; quo factum est ut disciplinarum dignitas sæpius ex cultorum auctoritate, aut ex temporario aliquo usu, quam ex rectà ratione fuerit æstimata, singulæque alternis vicibus, æquo magis aut sublatæ aut abjectæ, immodicæ gratiæ immodico rursus contemptu pœnas rependerint. Hisce litterariæ fortunæ vicibus cum æque ac cætera obnoxium fuerit linguarum studium (cujus provinciæ præcipua pars, singulari SENATUS VENETI munificentiâ, diligentiæ

meæ commendata) operæ mihi pretium facturus videor, si hodiernâ die hujusce studii originem, varia de eo doctorum hominum variis temporibus judicia, variasque causas, tum multiplices ejusdem fines, commoda, vitia persequi aggrediar, ejusque legitimum pretium æquâ lance pendere instituam, ne forte adolescentes huic studio addicti aut plus æquo in eo sibi placeant, aut imperitorum dicteriis perculsi animum despondeant. Siquidem ut ingenii nostri, ita et nostrorum studiorum cæca admiratio arrogantiam atque errores parit, demissior opinio humilitatem animi et socordiam, justa æstimatio honestam fiduciam et verum usum.

II. Mirum jure videri possit, quod cum ante Græcos multæ nationes extitisse ferantur doctrinæ laude florentes, immo vero ab iis rationis, ut ita dicam, elementa in Græciam influxerint, nulla tamen præter Græcam extiterit lingua quæ doctæ nomen obtinuerit, et cujus addiscendæ studio nationes reliquæ raperentur. Inquirenti ejus rei causam ea mihi sese offert potissimum, doctos quidem apud exteras nationes fuisse cuicuimodi satis multos, nationem vero ipsam quæ docta fuerit, ante Græcos fuisse nullam. Doctam porro natio-

nem cum dico, non eam intelligo, quæ stupore correpta hianti ore tenebricosa paucorum oracula excipiat, sed eam apud quam doctrinæ lumina se se in universum populi globum effuderint, eam cui politior eruditio scriptis consignata, scholis excepta, ab Academiâ ad concionem, a suggestu ad theatrum traducta, communi vitæ quodammodo inspersa, veri pulchrique gustum inseverit, quo vel ipsa vulgi lingua et aliquo doctrinæ sapore imbuatur, et flore veluti elegantiæ renidescat. Sapientiæ patres vulgo perhibentur Ægyptii. Decorari specioso hoc nomine aliquas rationis scintillas ab immenso errorum Chao erumpentes facile patior, dum illud certo constet, sapientiam hanc densissimis involucris obductam, unico sacerdotum ordini, cui maximus ex populi ignorantiâ quæstus, commissam, non vulgaribus ad omnium captum, sed hieroglyphicis, ad paucorum auctoritatem, litteris fuisse concreditam. Quod cum reputo, non mehercule subdubitare non possum, ne forte Diodorus Siculus suo ipse impendio Osymandiæ Ægyptiorum Regi magnificam illam bibliothecam exædificaverit, utpote in quâ pro Poetis, Philosophis, Theologis, nihil præter serpentes, ibides, crocodilos, ichneumonas, aliaque hujusmodi

sapientissima monstra circumspicere licuisset. Eadem apud Chaldæos, apud Celtas eadem, si minus in litteris, certe in doctrinis mysteria; pauci veteratores, cætera pecudes, tota natio. Nam Phænicios, bonâ cum Bocharti veniâ, aliquanto amplius mercium suarum quam eruditionis permutandæ sollicitos fuisse crediderim, ac licet eos inventarum litterarum gloria condecoret, ipsos tamen iis magis in accepti atque expensi rationibus quam in libris condendis usos fuisse, scriptorum apud eos inopia aperté testatur. Licuerit itaque antiquis Græciæ Philosophis per Ægyptum atque Asiam ambitiose magis quam utiliter peregrinari: nihil tamen erat in causâ cur Græci homines eas linguas magnopere vellent addiscere, quas populo relictas exigua elegantiæ, fere nulla doctrinæ gratia commendaret. Contra vero eruditionis germina in exteris oris prope infæcunda, beatissimo Græciæ solo excepta atque exculta, brevi se se in uberrimam præstantium scriptorum segetem effudere. Hoc porro tam singulare beneficium, hic tempestivior litterariorum monumentorum proventus, si verum accurate perpendimus, non aeri cæloque, ut a multis creditum, verum maturæ syntaxeos constitutioni, et analogiæ origini

tribuendus. Cum enim vocabula et signa sint et instrumenta notionum, profecto nisi verborum penus satis ampla fuerit extructa, nisi exleges effrenæque orationis partes fœdere inter se aliquo copulentur, nisi incondita absonarum loquutionum silva in certas classes atque ordines tribuatur, eæque sibi congeneres et consonos dicendi modos adsciscere analogiæ ope consuescant, parturire oportet mentem sæpius quam parere, et homines vel acerrimo ingenio præditi, aut abortis notionibus, aut verbis conceptas notiones male sequentibus, balbutire verius quam eloqui dicendi sint. Quod si reputare voluerimus diversos Græciæ populos ab ultimâ origine aliquo inter se sociali fœdere copulatos, Amphictyonum Consilium, publicum Græciæ Senatum, ab heroicis usque temporibus constitutum, Olympicos ludos, celeberrimum universæ Greciæ conventum, præ antiquitate ad fabulosum auctorem relatos, instituta in variis urbibus vel ante Homerum eloquentiæ certamina, antiquissimas expeditiones, maritima ac terrestria bella communi consilio suscepta, minus aliquanto mirabimur, loquendi supellectilem apud Græcos cito extructam, apte coagmentatam, salubri regularum jugo mature obstrictam, mature itidem con-

stantibus notis linguam signasse, eamque commodiorem ad expoliendum egregiis Scriptoribus tradidisse. Hinc factum est, ut post aliquot Poetas, quibus semper primis et linguæ nitorem, et populi culturam debent, exsurgere potuerit Homerus, hoc est vir, qui ingenio sæculum supergressus, nativo sermoni largissimo fœnore, quod ab ipso acceperat, redderet, qui ei vim, ubertatem, flexilitatem (a), elegantiam, spiritum, verbo, inderet suum, eamque linguam quæ præclaris ipsius fœtibus obstetrix fuerit, et cariorem suis, et alienis efficeret invidendam. Parcendum enimvero Græciæ, si Homerum enixa, sæculo amplius, quasi ad recolligendas vires, substiterit; præsertim cum obortæ per ea tempora licentiæ et tyrannidis vices neque publicam neque privatam rem satis consistere paterentur: neque vero otiosa ea tempora dicenda sunt, quibus præclarissima

(1) *Flexilitas*: novum vocabulum; dixerit aliquis: quid si negem? expecto quis in tanta Latinitatis jactura dejerare ausit vocem hanc ab nemine Latinorum omnium aut in scriptis, aut in sermone usurpatam. Sed esto: ea certe vox analogia suadente procusa. Ego vero notionibus primum consulo, tum de vocabulis consilium ago: si præsto sunt, utor paratis, sin minus, linguæ indoli quam lexico lubentius obsequor: obmutescant alii, per me licet, aut voculæ notionem posthabeant.

quæque ingenia tanto exemplari incubantia, hausta ab eo semel pulchri formâ, ejus ad alia genera traducendæ artem tacite secum ipsa meditabantur. Sane necessaria isthæc cessatio non interruptâ multorum sæculorum gloriâ pensata. Cum itaque amplificatis constanti libertate animis et ad grandia erectis, Persico bello gloriose confecto, auctâ armis, ditione, opibus Græcorum potentiâ, artes ac scientiæ omnes per universam Græciam genitabili quasi aurâ afflatæ effervescerent; cum sollertissima ingenia, in se assidue revoluta seseque urgentia, in Liceo, in Porticu, in Academiâ diversis rationibus divinandam naturam susciperent; cum Philosophia Platonis ore Musarum et Charitum linguâ loqueretur; cum adstricta numeris verba, formasque et colores induta cum animatis tabulis et spirantibus saxis de naturâ æmulandâ certarent; cum Tragædia terrifico humanorum affectuum spectaculo corda percelleret, Historia publicarum calamitatum exemplis vitam moneret, Anacreontis numeri lætiora convivia facerent, personarent solemnes ludi Pindari canticis, forum Demosthenis fulminibus concuteretur; quî tandem per ea tempora fieri poterat, ut bonarum artium amatores non vehementissimo Græcæ linguæ stu-

dio flagrarent, ut non eam exteræ gentes publicis scholis institutis ad se se allicerent, non ab eà eruditio omnis initium duceret, non denique cæteræ linguæ litterariis ornamentis destitutæ se se præ illa agrestes et barbaras faterentur? Est igitur hoc peculiare atque eximium Græcæ linguæ decus, quod non externis causis, ut pleræque aliæ, verum sibi unice et suis ipsa Scriptoribus splendorem et amplitudinem debeat; adeo ut vel nisi Alexandri arma AEgyptum atque Asiam Græcorum imperio subjecissent, ea tamen, si minus nationum lingua, lingua semper extitisset eruditorum.

III. Profecto Græci sermonis imperium quantum armorum ope non indiguerit, Roma ipsa exemplo luculentissimo ostendit. Nimirum magna illa Roma, terrarum ac gentium latissime potens, devictæ Græciæ artibus se se tandem vinci passa est; eaque lingua quæ per omnes terras ac maria imperiosa Senatus oracula circumferebat, quæ jura populis dare, regna verbo adimere, diem ipsis Regibus dicere, aut iis a privato cive in clientelam acceptis magnifice patrocinari consueverat, Græcæ eruditionis parenti fasces submittere, eique veluti magistræ sese in disciplinam tradere non recusavit. Atque hic Græcarum litterarum amor quo serius

eo avidius ab Romanis haustus, magis magisque in dies gliscens, postremo adeo ætates atque ordines omnes corripuit, ut quemadmodum Abderitæ poeticam insaniam insanientes Euripidis Andromachen declamitasse perhibentur, ita Romanis rebus et verbis græcissare solemnis prope morbus esset. Scriptores tum sibi placerent maxime cun Latina scripta plurimis Græcis vocibus, quasi vermiculatum emblema, distinguerent; elegantibus hominibus nihil oleret, nihil saperet, nisi quod Græcanicis esset imbutum deliciis; mulierculæ denique ips e non sibi satis bellæ ac venustæ viderentur, nisi tenero palato Græculum aliquid blandissime supplantarent. Magno cessit emolumento Latinæ linguæ hoc vel immodicum in Græcam obsequium: siquidem ejus commercio rusticanam et bellatoriam asperitatem exuta, rotundior et concinnior facta, philosophicis vocabulis et poeticis loquutionibus locupletata, eos brevi Scriptores protulit, qui cum Græcis exemplaribus ita de laude certarent, ut litem posteritatis judicio non facile dirimendam reliquerint. Ex illo quod Orienti Græca, id cæpit esse Occidenti Latina lingua; ex illo utraque inter se sociali fœdere copulatæ, communicatis invicem laudibus, dominari in scholis, in adolescentum

institutione utramque paginam facere, in ore ac deliciis esse, simul florere, simul vigere, simul etiam paulatim debilitari et languescere, donec volventibus fatis, confectâ alterâ ac tumulatâ, altera ægra atque afflicta propriis ruinis aliquantisper superfuit, in amicæ primum ac sociæ, tum in suo ipsa funere bis peritura.

IV. Luctuosam enimvero ac pudendam humanæ menti scenam ingredior, sed quæ tamen ad aperienda linguarum in omnem litteraturam merita maxime conferat. Recolamus paulisper animo fœda illa et calamitosa tempora, quibus ab Arctois oris in Europam reliquam immissa barbaries non hominibus modo, sed ipsi humanæ rationi bellum indixerat. Jamdudum relicto sibi a majoribus litterariæ gloriæ patrimonio exciderat Italorum posteritas: tum vero majorum etiam monumentis absumptis, linguâque deperditâ, spes quoque ei pristinæ dignitatis aliquando recuperandæ plane intercepta. Itaque nulla jam litteraturæ facies, nullus color: barbararum vocum colluvies erat pro linguâ, pro urbanitate merum rus, pro doctrinâ stupor: obtorpuerat imaginandi vis, obbrutuerat ratio; prorsus omnium mentibus altissima ignorantiæ nox incubabat. Has quidem prædensas tenebras irrequieta humani animi

curiositas paulatin dispulit: quid tum? veternum deliriis excussum: ignorantiam errores, rusticitatem perversus in omni studio gustus excepit. Vos ego hic jam, Egregii egregiorum studiorum Cultores, quorum me florentissimâ coronâ septum non sine gratâ trepidatione contueor, vos, inquam, appello atque interrogo: cogitate, quæso, quam misere fuerit posterioribus sæculis singularum disciplinarum os deformatum: videte sordibus obsitas amœniores litteras, Medicinam se se lutulentis Arabum fontibus proluentem, hirtam Scholasticorum sentibus Jurisprudentiam; ponite vobis ante ocules sapientiæ magistros, ridiculos lanistas, præacutis syllogismorum spiculis de veritate non defendendâ sed jugulandâ certantes; Philosophiam artem factam subtiliter ac laboriose insaniendi; Dialecticam in irretiendâ ratione occupatam; Physicam verba pro rebus dare, et fumos vendere vanissime edoctam; adulteratam denique absurdæ Metaphysicæ societate augustissimam religionis scientiam, ejusque historiam, suâ se divinâ firmitate satis tuentem, putribus adminiculis periculose suffultam: hæc, inquam, omnia eo quo polletis veri rectique sensu, animis vestris subjicite, tum vero statuite vobiscum, pejus ne de hu-

mana mente Gothorum et Longobardorum arma, an Arabicæ eorum temporum scholæ fuerint promeritæ; atque utrum stupidam proavorum barbariem, an inauspicatam nepotum sollertiam præoptandam existimetis. Ex hoc deterrimo statu ut emergerent aliquando tandem sana et solida paucorum ingenia, quid agerent, per fidem vestram, quo se verterent, quam insisterent viam, nisi ut ad oblitos jam ac prope deletos eruditionis fontes, Græcam scilicet et Latinam linguam confugerent, et inter antiquitatis rudera vestigarent aliquas priscæ doctrinæ, et elegantiæ reliquias, quæ corruptos pravorum consuetudine animos ad veri imaginem contemplandam sincerà suà pulchritudine revocarent? Quocirca, signo ab egregiis Italis dato, et cedente in eruditionis bonum Byzantii exitio, antiqua exemplaria certatim unde unde conquiri, erui, emaculari, restitui; excitari analogiæ lux, syntaxeos præcepta componi, lexica condi, Scriptorum ætates distingui, stylus internosci, pretium expendi; Grammatici, Philologi, Critici, Interpretes, jam tum nobilissima nomina, certare inter se, quis melius AEsculapii sollertiam in reparaudo discerpti Hippolyti corpore imitaretur. Hic mihi eos dari pervelim, qui in

Grammatici atque adeo in Philologi nomine bellissime nauseant, atque ex hoc delicato fastidio elegantioris doctrinæ laudem aucupantur; eosque percontari cuperem, satis ne secum ipsi perpenderint quantæ mentis fuerit, linguâ simul et eruditione deperditâ, quarum alterutra sine alterâ cognosci nequaquam potest, ex adumbratâ linguæ imagine Scriptorum sententias, ex sententiis Scriptorum nationis consuetudines, leges, ritus, privatos et publicos mores elicere, rursusque per eadem vestigia regressis consuetudines ad sententias, sententias ad linguam perpetuâ inductione adhibere; quantæ sagacitatis arcanos fines, ancipites sententiarum significationes rimari, assequi, divinare, Philosophum Mythologo, Comædiographo Historicum interpretari; quam exquisiti sensus diversissimorum Scriptorum indolem sibi adsciscere, ac ne unicum quidem verbum iis appingere, quod esset ipsis, si reviviscerent, inficiandum; postremo quantæ molis Græcæ et Latinæ eruditionis membra longe lateque dispersa simul colligere, singula singulis aptare, et ex infinitis fragmentis immensum hoc ædificium iisdem partibus compositum, eodem nexu colligatum, eodem ordine dispositum restituere. Jam, renatis veterum linguis, artes ac

scientiæ omnes reviviscere, juvenescere, gratulari propemodum inter se, squalore ac sordibus detersis sese exultabundæ nativâ in luce ostentare; jam in scholis præsubtilibus, perplexis, horridis elegantia, sincera, nitida in pretio esse; ingenerari Scriptorum soboles Græcis et Romanis parentibus non pænitenda; accensa, magno sacræ et profanæ Historiæ bono, Criticæ fax, Jurisconsultorum mens ex intimâ eruditione deprompta, Hippocratis Oracula Medicis reddita; Philosophia denique omnis e spinosis Scholasticorum labyrinthis in veri semitam reducta, factumque ut naturæ indagandæ cupidi aut acuti esse cum laude, aut errare cum venia in umbra magnorum nominum possent. Neque vero minorem cæteris gratiam debebat instauratis linguis Religionis Scientia, utpote quæ Gordianis alienarum quæstionum nodis extricata, suoque alimento, veterum Patrum quasi lacte enutrita purior et simplicior effulsit: verum Græcæ eruditionis beneficium cumulavit amplissime rediviva per eadem tempora Hebraica lingua; quæ post Origenem et Hieronymum propre neglecta, et nationis invidiâ laborans, tandem e tenebris educta, et affinium linguarum satellitio stipata, vitales Sacrarum Litterarum fontes aperuit, explica-

tis Hebræorum et finitimarum gentium moribus obscuriora loca luce perfudit, legitimam divini Codicis lectionem asseruit, Interpretum discordias aut conciliavit aut sustulit, et ad veritatem propugnandam Christianis hominibus arma præbuit, quibus cum postea Novatores abuti essent ausi, ea in se se valentius retorta magno cum suo damno sensere. Cum igitur nulla litteraturæ pars insigni aliquo linguarum beneficio vacaret, nihil est cur miremur si tot ac tanta earum merita publicæ gratiæ aura altissime extulerit, et si linguarum periti, quasi omnis eruditionis promicondi, interpretes Minervæ, sapientiæ antistites, litterariæ Reipublicæ Atlantes, divinis promemodum honoribus mactarentur.

V. Diu viguit bene parta linguarum auctoritas, diutius perduratura, si et omnes qui linguas noverant legitimum quoque linguarum usum percalluissent, et semel excitata ratio coerceri præscriptis finibus posset, ac majorum opinionibus non sine socordiæ et servitutis nota acquiescere. Sane quemadmodum cordati hæredes, paternarum opum ratione inita, eas et vitæ commodis percipiendis, et augendo censui solent impendere; ita posteriores Philologos decuarat non modo eruditionem ab linguis ne-

quaquam secernere, verum etiam antiquitate restituta in eam rationis jura exercere; veterum linguis sobrie ac prudenter uti ad recentes jam culturæ indoneas, et quarum usus potissimus, expoliendas; per aliena vestigia non reptare sed progedi, neque tam ab antiquis verba quam spiritum mutuari; in iis imitandis ætatis ac gentis suæ rationem habere, neque Italis aut Gallis hominibus Græcorum aut Romanorum mores obtrudere; eorum scripta modestæ quidem sed liberæ Critices trutina expendere, bene inventa amplificare, absolvere inchoata, prava corrigere; infames clarorum virorum naufragiis scopulos in veritate inquirenda declinare; atque ita veterum Philosophorum libros consulere, ut eos tamen semper cum maximo illo naturæ exemplari conferrent. Verum ubi linguarum et Philologiæ fama convaluit, ubi Græcorum et Romanorum opes palam expositæ, provenere passim quædam quasi litterariorum fucorum examina, qui se ab antiquis prope jam omni imaginandi cogitandique negotio exsolutos arbitrarentur. Itaque vidisses alios quorum tota litteraria supellex alicujus lexici finibus continebatur; alios qui, Ciceroniano centunculo sibi consuto, populo imponerent, nisi quod malo eorum fato extantes

e leonis pelle longiores auriculæ in acutiorum oculos incurrebant; superstitiosos Grammaticos verba non pretio sed nota æstimantes, lutulentos aureorum Scriptorum interpretes, eruditos nugivendulos, Criticos antiqui Poetæ pedibus adorantium ritu provolutos, Philosophos denique sui nominis oblitos, quos rationem sibi in libertatem vindicandam vinculis obstringere, et auctoritati mancupio dare non dispudebat. Atque horum plerique quotidianum sermonem exoticis vocibus ad nauseam usque infercientes, fastidire homines magis de rerum soliditate, quam de verborum elegantiâ sollicitos, vulgares linguas habere pro barbaris, æternoque incultui damnare, clamitare passim effætam esse naturam, ejus vires in Græcis et Latinis exhaustas, nihil esse pulchri quod non ab iis fuerit præoccupatum, nihil veri quod non prædictum, eos solos nunquam peccare, nunquam labi, nihil humani unquam pati; qui contra senserit, devovendum diris omnibus, et tanquam litterariæ religionis hostem, veterum Poetarum, Oratorum, Philosophorum Manibus esse mactandum. Utinam vero Christiani Hebraicæ linguæ cultores, legitimis ejusdem titulis nequaquam contenti, non ipsi quoque pudendam labem præpostera admiratione

inussissent. Nimirum cum Hebræorum sermone instaurata pariter superstitiosa atque insana Hebræorum sapientia, Cabalam dico, quâ in transversum acta clarissima cæteroqui nostrorum ingenia, ex præconceptâ opinione ipsum Divinum Opificem Hebraice loquutum, in singulis sacri Codicis apicibus alienissima mysteria inesse somniarunt, sibique ex Hebraicis litteris certa ratione compositis aut inversis, arcanam naturæ scientiam, juvenescendi artem, vaticinandi facultatem, intimum cum bonis Geniis, atque adeo cum ipso Divino Numine commercium, magno cum rationis et religionis dedecore pollicebantur.

VI. Sed jam eversâ Sophisticæ tyrannide, auctoritatis dominatione paulatim labante, vera tandem Philosophia tacite aucta moliebatur erumpere: jam ratio nimis diu, infantum ritu, sustinentium manibus utrinque suspensa, sese ipsa tandem inniti suisque uti viribus cœperat, malebatque jam experientiæ suæ quam vanis nominibus credere. Video vos, Auditores, gestientes animo exultantesque orationi meæ rapida cogitatione antevertere, prospicere veram litterario orbi lucem obortam, doctasque larvas, quæ tandiu ingeniis illuserant, dissipatas, contueri cum gaudio veritatem super procul-

catarum opinionum ruinas magnifice considentem, sequi generosos cautosquè rationis impetus, dum non prius judicandi cupida quam cognoscendi, rerum universitatem peragrandam suscipit, opesque non fabulosas suis thesauris locupletandis conquirit; dum telluris figuram, electrica prodigia, magneticas intemperies, aeris pondus atque elasticam vim, fætam coloribus lucem, corporum in corpora reciprocos nisus, sanguinis circuitum, intimam humanæ machinæ texturam rimatur atque aperit; dum instrumenta sua Geometriam atque Analysin perficit, quarum alterâ motus in solidis fluidisque corporibus leges constituat, altera infinitatem ipsam aggredi, suisque supputationibus subjicere non vereatur; dum homines acutioribus firmioribusque oculis instruit, quibus vel animata puncta in variis elementis latitantia suas in partes distinguant, vel corpora immensis dissita spatiis temporis articulo sibi ad nutum præsto esse compellant, dum experientiæ ope, quasi questione adhibita, reconditiora arcana naturæ extorquet, et in artium usum convertit; dum postremo in sublime rapta, ipso cælo enavigato, veteres orbes invisit, novos detegit, certas astrorum leges describit, cometas in ordinem redigit, interest non somniato

sed vero cælestium globorum concentui, et per flammantia mundi mænia eo usque progreditur, donec inter creatarum increatarumque rerum confinia consistens, immensam divini solii umbram eminus conspicata, sacroque horrore perfusa, vela contrahit, redit ad se, suisque viribus rite perpensis, ipsa sibi terminos costituit, et in terras regreditur, Divini Numinis sapientiam magnificis præconiis, ejus naturam religioso silentio prædicatura. Ergo ubi omnibus palam factum, non esse scientiam Græco aut Latino solo; quasi glebæ homines, addictam, sed omnium nationum industriæ publice expositam: ubi re evictum, antiquos (neque id sua, sed temporum culpa) perficienda multa, plura emendanda, invenienda plurima posteris reliquisse, ipsa quoque Philologiæ et Philologorum admiratio paulatim deferbuit, et veterum linguarum studium quod veteris eruditionis gloria fovebatur, sensim refrixit: præsertim cum, afflatis eodem rationis spiritu humanioribus litteris, mallent jam homines scribendi præcepta ab natura, quam ab naturæ imitatoribus petere, jamque non Itali modo, sed Galli, Germani, Angli, suas quisque linguas certatim excolentes, præclarissimis scriptis ostenderent, tam multas esse naturæ facies,

tam varios sentiendi ac pingendi modos, ut ridiculum sit existimare posse nationem aliquam ita in hujusmodi studiis excellere, ut æque in iisdem excellendi spem cuivis alteri facultatemque præripiat. Exinde in hac litteraturæ parte æstimanda præcipitatum vulgo est, non descensum: Græcæ et Latinæ linguæ servata reverentia aliqua, gratia dempta; leviculi homines sui sæculi inventis, quasi propriis bonis, tumentes, antiquos parum cognitos, minus intellectos putida insolentia damnare, sugillare, traducere; magni illi eruditi qui modo litterarii Senatus principes ferebantur, referri jam inter ærarios, eorumque in antiquitate cognoscenda industria, laboriosæ futilitatis nomine donata, tantum non libero homine indigna censeri. Hæc nimirum vulgi natura (nam vulgus in litteris, ut in communi vita, facile inveneris) nunc stupet, nunc aspernatur, judicat nunquam. At vero saniores et ingenii vera disciplina subacti non fallebat quantæ dementiæ esset, novis regionibus detectis, commercium sibi cum antiquis sponte interdicere, quantæ ignominiæ multo nobilissimas linguas, e quibus recentes omnes magnam partem conflatæ, pati exsolescere: videbant in legibus, artibus, scientiis, publicis privatisque institu-

tis innumera esse quantivis pretii, quæ sentiri atque intelligi sine uberrimis antiquæ eruditionis haustibus nequaquam possint; cum, ratione ipsa suadente, primos atque inconsultos phantasiæ nisus aliquandiu imitationi regendos tradere oporteat, piacul um putabant non immorari in egregiis veterum Scriptorum operibus, quorum sacer ignis præstantissima quæque sæculorum ac nationum omnium ingenia inflammarit, et figura tantum mutata eamdem semper naturam servaverit; intelligebant e recentibus majorum gentium in omni disciplina Scriptoribus eos pleniores esse valentioresque quos maxime antiquorum opes aluerint atque auxerint; quemadmodum Alchymistæ suas sequuti larvas, plura tamen in Chemia optimæ frugis plenissima detexere, sic antiquos Philosophos, si quando a vero aberraverint, ipsos errorum suorum tramites vividissimis ingenii sparsisse luminibus, seminaque post se reliquisse mentibus fecundandis aptissima; ingenia in obscuris et subtilioribus prudenter exercitata, ut corpora laboribus mature subacta, habiliora et solidiora fieri; postremo quidquid uspiam homines in exploranda natura extuderint, id totum ad mentis historiam, quæ Philosophiæ pars longe præstantissima, pertinere.

VII. Quod si sanior Philosophia nonnihil eruditis linguis de immodica auctoritate detraxit, ea tamen hujusmodi studium mirifice nobilitavit atque extulit, linguasque universim omnes eo collocavit in lumine, unde ex se Philologorum nationi nunquam antea conspiciendas præbuerant. Nimirum sapientes homines rationalis Chemiæ artibus intelligentiam in sua principia resolvere ausi, deprehendere sine linguis nullam esse rationem, et Platonem ipsum aut Verulamium loquendi facultate destitutum, non modo quoad externos vitæ usus, sed quoad intimum mentis statum, prorsus a barone aliquo aut caudice, ne dicam a bruta animante, nihil distare. Cum enim neque animus sibi relictus cogitare possit nisi absentium rerum species ipsi objiciantur, neque species, (præter paucas quæ cum intimo necessitatum nostrarum sensu junguntur) excitari nisi naturalium aut fortuitorum signorum occursu, signa porro naturalia et fortuita in nostra potestate non sint, necessario consequitur, ut memoria aut vacua aut vapida, phantasia modo specierum carentia torpente, modo incomposito incursu turbate affecta, nihil habeat ratio quo se se evolvat atque explicet, et mens semisomna, ordinis ignara, notionibus necten-

dis impar, vires suas non dicam exercere, sed ne suspicari quidem ullo modo possit. Contra vero institutis linguis, hoc est aggesta amplissima factitiorum signorum congerie, quæ cito in memoriæ penu reposita nobiscum assidue versentur, seseque ad nutum continuo sistant, extemplo ipsæ quoque ideæ, quas hujusmodi signis copulare ab infantia assuevimus, exsuscitantur, dictoque parent: quo fit ut liceat animo jam suo, jam rerum potenti, in eas quasi in subjectam turbam pro imperio agere; peculiarem aliquam ideam excerpere in qua elaboret; modo complures simplices voculæ vinculo in unum compingere, atque hoc callidissimo invento ne dilabantur cavere, modo resolvere implexas, et sigillatim simplices quasque introspicere; una aut altera præsente ciere congeneres omnes, comparare inter se, multimodis dissidiis et conciliis sollerter miscere; particularum veluti articulis judicia nectere, et notionibus verba, verbis notiones semper indidem certo ordine ingenerantibus, admirabiles illas ratiocinationum catenas ad veritatem constringendam pertexere. Ab hujusmodi principiis profecta præstantium virorum sagacitas, et per linguarum vestigia gradatim progressa, rejectis ambitiosis fabulis, primævum humani animi statum reclusit;

et animadvertens Poetas apud omnes gentes Scriptorum semper antiquissimos extitisse, in eorum lingua primos, ut ita dicam, rationis vagitus exaudiit, in corporeis spiritalium rerum vocabulis legitimam idearum originem, earumque propagationem perspexit; intellexit figuras non ad ornatum quæsitas, sed a crassa percipiendi ratione profectas, abstractarum vocum inopiam mentis infantiæ tribuendam, denique in fabulosis naturalium rerum imaginibus non phantasiæ ludibundæ delicias, sed prodigiosam nationum omnium primis temporibus Physicam contineri. Sunt hæc universis quidem linguis indiscrete communia: ex iis tamen colligere proclive est, singulas linguas nihil esse aliud quam varios singulorum populorum sentiendi atque intelligendi modos, pro diversa vocalium organorum structura diverse expressos: quos ad modos certa aliqua ratione confingendos cum cœli solique temperies, civitatis status, religio, artes, scientiæ, publici ac privati mores suam quæque symbolam conferant, apparet profecto universam cujusque linguæ phraseologiam aliquo harum omnium rerum colore necessario esse infectam, et loquutionum collectionem quamdam esse quasi numismatum seriem popularium opinionum notis signatam,

ex qua veri eruditi historiam humanarum mentium, multo imperiorum historia præstabiliorem, magno cum rationis fructu possint eruere. Non est igitur cur veterum linguarum amatores de Philosophia conquerantur, quasi eas litterario regno spoliaverit: magis sunt ei habendæ agendæque gratiæ, quod si quid uni aut alteri ademit, tam cumulate reddiderit universis, ut rursus in eas ipsas, quas lædere visa est, dignitatis pars, tota, ea qua gaudebant antea, multo amplior solidiorque redundaverit. Licet enim ratio ejusmodi fructus ab qualibet lingua quadantenus possit percipere, certiores tamen ab antiquis uberioresque colliguntur, quippe cum et ad primævum naturæ statum propius accedant, et expressiora in iis appareant opinionum consuetudinumque vestigia; cum recentes et ab societatis incunabulis longissime distent, et ex antiquis magna ex parte coagmentatæ plurima vocabula ab iis desumpta ad novas significationes detorserint, et nativa earum Etymologia usu protrita sensum et animadversionem facile effugiat, et demum, pro longe lateque disseminato rerum hominumque commercio, is opinionum circuitus, ea consuetudinum pervagatio permutatioque facta sit, ut paulatim primæ illæ distinctæ et

constantes populorum notæ, novarum accessione obliteratæ, evanuerint, omnesque jam Europæ populi unicam propemodum nationem conficere vdeantur.

VIII. Cum itaque linguarum omnium sit antiquissima Hebraica, doctarum Græca, cumque earum altera omnis antiqua eruditio, utraque sanctissima religionis principia sint consignata, neminem sanæ mentis futurum puto, qui dubitare ausit, quin dignissimæ sint in quibus sese ingenia vel solidissima exerceant; quique vel hoc nomine insignem VENETI SENATUS sapientiam non magnopere commendet, qui cum hunc nostrum disciplinarum orbem, quem angustis circumscriptum finibus acceperat, protenderit, rotundarit, absolverit, noluit hanc unice tam necessariam doctrinæ partem desiderari; sed eam modo, pro temporum ratione peculiari schola donatam, modo publicis sacrarum profanarumque litterarum doctoribus commendatam florere jussit. Cujus nobilissimi universa Europa Consilii cum Tu JULI ANTONI CONTARENE Prætor et Propræfecte multo præstantissime, imaginem ad nos et mentem attuleris, cumque nulla sit civitatis pars, nullus ordo, quem ut prudentia regis, æquitate temperas, non etiam singulari humanitate am-

plectaris tua, est profecto cur summopere gratuler, esse mihi per exteras oras studiosæ juventutis utilitati Tuis felicissimis auspiciis velificandum: Tuis inquam, Vir laude major, qui te memineris ex ea familia ortum quæ GASPAREM illum jactet littetura quam Romana purpura eminentiorem, qui nobilitatem eruditione excultam, non minus quam opulentiam virtutibus insignitam, *fulgidissimum sidus*, ut ait Pindarus, *veramque hominis lucem* existimes; qui demum intelligas nullam esse doctrinæ particulam optimæ frugis expertem, quemadmodum ex omnibus ingenii animique dotibus, quas in Te plurimas benignissime natura congessit, nulla est quæ non publicis inserviat commodis, quæ non in partem veniat civilis rei præclarissime administrandæ, quæ non ad auctoritatem, admirationem, caritatem Tibi eonciliandam, certumque imperium in animos obtinendum maxime conferat. Accedit altera gratulandi causa quod te bonarum artium Presidem conspicor, Illustrissime et Celeberrime Professor Prorector, ac Syndice (2), cujus acerrimo ingenio cum Criticæ Artis principia fuerint æquo jure concredita, nec dubito

(2) Antonius Lavagnolus Logicæ et Artis Criticæ Professor.

quin pro tua doctrina magni facturus sis eas linguas, quæ duo quasi Criticæ oculi censendæ sunt, et quarum intimam vim non aliena opinione æstimes, sed tua ipse experientia calleas, et exquisito sensu degustes; et facile spero fore ut secunda favoris tui aura prosequare conatus hominis, tibi non minus judicio et æstimatione devincti, quam studiorum necessitudine commendati. Quem porro mihi sensum putatis esse, cum Vos universos intueor, Illustrissimi ac Celeberrimi Professores, quos mihi Senatus-Consultum Collegas, sapientia vestra duces et exempla constituit? Sentio nimirum sentio et a quibus, et quem in Cætum, et in cujus locum coopter: cooptor a *Sapientissimis* Rei nostræ Litterariæ. *Moderatoribus*, quorum suffragii auctoritatem semper gravissimam ne forte mea tenuitate elevem magna mihi est ope obnitendum: in eum Cætum cooptor, in quem cooptari præ inveterata semperque in dies invalescente ejus nominis fama satis magni præconii loco esse possit; qui Palladis magis quam Vestæ sacrum ignem non modo inter primos succenderit, et in communi caligine servarit incolumem; sed etiam progressu temporum quotidie auctum præclaris operibus ad Europam omnem inflammandam felicissime propagarit; qui di-

sciplinarum eduxerit aliquas, permultas instaurarit, omnes amplificarit, ornaverit, ornet, amplificet: cooptor denique in locum clarissimi viri Michaelis Angeli Carmeli, qui disciplinam hanc eruditissimis scriptis, Cœnobium suum atque hanc urbem nobilissimo litterariæ munificentiæ monumento (3), litterati nomen candidissimis moribus condecoravit. Itaque video quantum mihi oneris impendeat, quantaque sit mihi opera elaborandum, ne spem, quæcumque ea fuerit, de me a Principibus Viris conceptam frustrari videar; ne aliquam Cœtui vestro labem inuram; ne vobis jure acerbam Collegæ egregii jacturam acerbiorem faciam. Quod prohibere ne eveniat, meæ quidem potissimum partes, verum et vestræ nonnihil sunt. Videtis quanta inter linguas et disciplinas reliquas intercedat societas, quam proximi fines, quam frequens officiorum communicatio; intelligitis quam sæpe mihi necesse sit vestra ope, multiplici doctrina vestra indigere: fovete itaque præsidio vestro, addite titubanti animos, juvate consiliis, amplectimini benevo-

(3) Exstructa scilicet ære suo, et librorum supplectile instructa Bibliotheca pernobili in AEde *Minorum*, ut vocant, *S. Francisci Observantium*.

lentia : perficiam profecto ut Decessoris mei si quando ingenium, certe modestiam, candorem animi, proclive in vos omnes obsequium non magnopere desideretis.

DE
HEBRAICÆ LINGUÆ
STUDIO

ACROASIS.

Cum superiore scholastico anno de Græcorum eruditione ac litteris disputationem instituerem, putidum duxi solemni Grammaticorum more de Græcæ linguæ laudibus ambitiosa oratione præfari, veritus videlicet ne illud mihi ab auditoribus arcesserem, quod in sophistam nescio quem jactum fertur, ex quo Herculem magnifice laudare aggresso, scite mehercule ab arguto Atheniensi quæsitum est, num quis forte Herculem vituperasset, ut ejus laudatione indigeret. Utinam vero in præsentia de Hebræorum sermone verba facere instituenti esset mihi illud idem pertimescendum, abstinerem sane libenter ab oratione minime necessaria, et Hebraicæ linguæ cujus me studio decet consulere, gratularer, utpote cujus existimationi operosa laudatio non tam honori quam oneri

futura esset. Verum disparem a me agendi rationem postulat dispar hominum de utraque lingua sententia. Nam ad Græcam quidem quod attinet neminem video paulo cultiorem, qui non de ea satis benevole loquatur et sentiat, quique si minus sibi excolendam existimet, non eam tamen honore aliquo prosequatur. At vero erga Hebraicam et Orientis cæteras non perinde omnes affecti; immo permultos facile inveneris, qui male in eis locatam operam arbitrentur, totumque hoc studium magis ad vanam arcanæ eruditionis pompam, quam ad solidam utilitatem comparatum existiment. Ac si hujusmodi voces ab iis tantummodo jactarentur, quorum stomacho graviora ac severa omnia solent officere, ab iis qui in thermopolio decussatis cruribus otiose desidentes de universa literatura censuram agunt, aut qui Transalpini alicujus libelli lectione confisi in muliercularum corona sese argutos atque adeo ferocculos faciunt; neque mirarer profecto, nec iis quæ temere effutiunt obloquerer. Ecqua enim spes acqua ratio illud oratione obtinendi, ut sese hujusmodi homines inauspicatæ huic linguæ amiciores præbeant? quid est quo ea sese ipsis commendare valeat, aut saltem ab se eorum sannam procacissimam deprecari? Nihil

in ea urbanum, nihil sapidum, nihil quod Gallicas Veneres oleat, nihil quod in dominæ aures blande insusurret, nihil denique ab amœnissima illa ætatis nostræ Metaphysica, cupiditatum nutricula, petitum, mascula omnia, severa, horridiora, et quod iis longe horridius, omnino sacra. Adde pronunciationem, ut ex tyronum ore cunjiciunt, inconditam atque absonam, radendum guttur, crispandæ nares, os aut laxandum aut distorquendum. An non id satis sit, ut quemadmodum Pallas tibias, quæ ipsius os deformaverant, abjecisse fertur, ita ii aversentur ac respuant ejusmodi linguam, ex qua si quid balbutire parent, periculum sit ne elegantium contubernalium quibus se venditant non modo molles auriculæ, sed oculi ipsi ledantur? Quocirca si Ebraica lingua apud hos tantummodo homunciones festivissimos male audiret, sus deque haberem, Auditores, neque committerem ut ex responsione nostra dicteria sua aliquid habere ponderis, et sese in re litteraria esse aliquid suspicarentur. Cum vero non paucos homines, cætera sanos, eosque nec ineruditos nec leves audire sit, qui tamen de Hebræorum lingua non ex ejus dignitate sed ex vulgi opinione judicent, ἀισχρὸν, opinor auditores ἀισχρὸν σιωπᾶν; diluendæ criminationes, revo-

candi si fieri possit ad saniorem sententiam adversarii inconsulti illi quidem, non tamen aut illiberales aut aspernabiles, ab iisque conniventibus ac dormitantibus, ad eosdem ipsos oculatiores ac vigiles provocandum; cavendum denique, ne adolescentes eorum auctoritate decepti respuant plane hujusmodi studium, aut tardiores ad id capessendum accedant. Adeste ergo, Auditores lectissimi, meque non ex Professoris persona, sed ex animi sententia Hebraicæ linguæ causam agentem, benevole ut consuestis excipite.

Male ergo ajunt in Hebraica lingua addiscenda locata opera: Itane vero hujusmodi vocem Christianis hominibus e *septo dentium*, ut Homerice loquar, excidere? Quid censam, oblitosne eos, omnes prope religionis thesauros Hebraicæ linguæ quasi custodi concreditos, an putare satis nobis Latina interpretatione consultum, ejusque auctoritate a suprema Ecclesiæ potestate sancita, nihil jam nativa Sacri Codicis lingua opus esse? Hoc si liceret concedere, semper tamen hujusmodi vox parum digna Christiano homine videretur. Etenim si ubi in tabula magnificentissimæ urbis aspectum, aut viri fama clarissimi effigiem intuemur, non mediocris in animo solet excitari cupiditas eam

ipsam urbem, illum ipsum Heroa cominus prospectandi qui tandem deceat, per fidem vestram, hominem quem altus religionis sensus rite pervaserit, satis habere, si ei divini sermonis colores infuscati ac remissi, quasi sublustri in nebula, perferantur, ac non potius incredibili cupiditate exardescere contuendi os ipsum et nativa lineamenta ejus linguæ, in qua fervet adhuc et spirat sacer ille ignis qui mentes supra mortalem sortem evectas divinitus inflammaverat; ejus linguæ quæ beatos aperit latices cælesti spiritu adhuc recenti præfervidos, e quibus stilla prope nulla sit non animis pietate fæcundandis aptissima; ejus postremo linguæ qua oracula, præcepta, monita contineantur, unde nobis totius vitæ petenda norma, et quorum observantiam beata immortalitas, defectionem nunquam desiturarum miseriarum moles sit consequutura? Mihi quidem, si licet pudenti animo comparatione uti paulo audaciore, qui sine interprete ex Hæbraico adyto divina oracula excipiunt, ii propemodum tanto mortalibus cæteris præstare videntur, quanto Moses ipse e Sinæ vertice ab Dei colloquio digressus, Deumque ipsum toto ex ore emicantem præseferens, super Hebræorum turbam Dei jussa e Mosis ore excipientem attollebatur.

Cæterum non tam bene nobiscum agitur, ut assentiri liceat post receptam Latinam versionem posse nos sine cura et periculo Hebraico Codici valedicere. Licet enim Latinum interpretem non doctrina minus quam sanctimonia spectabilem, maximoque habendum in pretio libentissime fateamur, non tamen idcirco senticeta omnia quæ huic itineri passim inspersa moram properantibus faciunt, penitus eradicata, non idcirco nubes illæ nec tenues et crebræ, quæ veritatis lucem intercipiunt, prorsus dissipatæ ac disjectæ. Nam præterquamquod satis constat innumera esse singulis linguis tam peculiaria, tam arcte eorum naturæ adhærentia, ut in quamcunque aliam transferri vel a præstantissimis ingeniis sine aliqua sensus jactura, non possint (cujusmodi in Orientalibus linguis multo plura sunt quam in cæteris) multa insuper in sacris Hebræorum monumentis ambiguitas in vocibus, perplexitas in sententiis, multa præfervido ac prægnanti vatum stylo suspicioni magis relicta, quam intelligentiæ explicata; multa denique indicata raptim aut obiter jacta, opiniones, mores, consuetudines tum Hebræe tum finitimarum gentium occulte innuentia, quorum omnium qui vim et sensum accurate as-

sequi non pleniore haustu Hebraicis imbutus litteris, sola fretus interpretatione speraverit, næ is cordatis viris ludibrium debeat, et *ceratis pennis inniti vitreo ponto daturus nomina* videatur. Enimvero non levem sacris libris affusam esse caliginem facile ostenderint vel immensæ Biblicorum commentariorum moles sub quorum pondere bibliothecæ prope fatiscunt, vel eruditorum innumerabiles discrepantiæ, inter quorum disceptationes cur non malis peritus arbiter sedere, quam ignarus auditor consistere? Quid ergo? Romanæ Ecclesiæ hostes tanto in Hebraicas litteras studio rapientur, ut in plerisque eorum Gymnasiis nemo in Theologorum album cooptetur qui Hebraice nesciat, nos puriore lacte enutriti nativam religionis linguam, ne primoribus quidem labris degustabimus? Abutentur illi patrimonio nostro, nobis videntibus et incuriose oscitantibus? Ii sacram linguam invitam et reluctantem assidue sollicitaverint, ut veritati quodammodo prævaricetur; nos eam suas opes nobis paratas ultro offerentem, inculcantemque aspernabimur? Non pudebit nos lippire in quo illi acutissimum cernunt? Patiemurque eos identidem sollertiores esse in mala causa, quam nos in optima diligentes?

Tantum porro abest, ut Hebraicæ litteraturæ studium rei Christianæ supervacaneum censeri debeat, ut præstantissima quæque ingenia cæteras quoque Orientis linguas consulendas existimaverint, quo, collatis singulorum symbolis, vividior divino Codici lux afferatur. Et jure:cum enim antiqua Orientis idiomata nihil sint aliud quam totidem amplioris linguæ dialecti; in Hebraica vero pro scriptorum paucitate, linguæque jactura radices, origines, germanæ verborum significationes non semper appareant, nihil magis rationi consonum quam ad sororias dialectos, quarum aliqua vocibus et scriptoribus multo copiosior, confugere, et in iis sollicite rimari, si forte appareant primigeniarum significationum vestigia, quo vocabulorum et loquutionum usibus inter se comparatis liceat arcanos sensus eruere, in eaque explicatione acquiescere, quæ loco, et sacri Scriptoris menti videatur opportunissima. Itaque, ut nihil dicam de Chaldæorum ac Syrorum dialecto, quarum usus facile incurrit in oculos tum ob complura Chaldaica ac Syriaca utriusque fæderis libris inspersa, tum ob antiquissimas versiones quas ex defæcatis Hebraicis codicibus ductas credi par est, multum per Ludolphum Æthiopica, multum Coptica

per Lacrotium et Iablonskium Hebraicæ veritati contulit; Arabica vero præstantissimorum virorum Hottingeri, Pacokii, Scultensii, Michaelii mirifica opera melius de sacro Codice promerita quam aut sperari antea potuerit, aut nunc explicari dicendo possit.

Verum hæc omnia nihil ad nos, dixerit fortasse aliquis profanarum litterarum amator, Theologis hæc aut Bibliorum interpretibus; liceat nobis qui in alienissimis versamur studiis aliena et supervacanea ignorare. Ignorent sane, si lubet, dum illud intelligant, qui lingua aliqua sponte careat, ei eodem tempore necessario carendum accuratis notionibus eorum omnium quæ nationi ea lingua utenti sint propria. Id vero quam facile laturi sint, nescio; nisi forte existimant quidquid in quaque re pulchrum, quidquid exquisitum est, quidquid visu scituque dignum, id omne in unius Hesperiæ nostræ gremio contineri; aliis regionibus novercam esse naturam, sterilem artem et mancam, prorsus nihil esse Eois gentibus, sive physicarum rerum sive moralium ordinem spectes, in quo sapientibus, elegantibus, eruditis viris liceat cum aliquo operæ pretio immorari. Quod si non sentiunt, si patiuntur et illic solem vigere, terram parere: si credunt in tripli-

ci naturæ regno, multa esse Occidenti negata; Orienti concessa, si non ignorant floruisse illic maxima imperia, non defuisse homines factis, consiliis, sapientia, virtute præstantes; si cogitant legum, morum, religionum diversitatem multum ad alendam et exercendam mentem conferre, Philosophiam incunabula in Oriente sortitam, Poeticam phantasia atque affectibus genitam ubique gentium sese potenter exerere, artium ac scientiarum scintillas bis ab Oriente illuxisse Europæ bis barbaræ; hæc, inquam, omnia si nobiscum agnoscunt, et ingenue fatentur, pudeat negligere aut fastidire eas linguas, quarum vehiculo Asiaticæ opes et in olim in Europam traductæ, et in posterum traducendæ. Utinam vero præclara ingenia ditissimas Arabum fodinas diligentius sollicitandas exercendasque susciperent; minime quippe dubium est, quin universam rem litterariam uberrima pretiosorum operum bearent copia, quæ aut ignota omnibus, aut in regia Bibliotheca aliqua latitantia manum, operam, curam expectant. Arabes enim per ea tempora quibus medii ævi nomen fecimus, id fuere orbi litterario quod priscis temporibus Græci; eorumque præcipue opera factum est, ne nulla Europæ pars esset, quæ non crassissimæ ignorantiæ

tenebris premeretur. Ac vel omissis sapientum libris, qui in disciplina aliqua petractanda atque illustranda versantur, ipsa illa simplex vocabulorum loquutionumque cognitio sagacioribus hominibus multa suppeditat Orientalis litteraturæ vestigia quæ persequuti ad ipsa doctrinarum capita sollerter deveniant, et sæculorum in explodenda veritate moræ antevertant. Sexus in plantis discrimen: multo nobilissima, sed admodum recens in Europa observatio: et eam et Babyloniis ab ultima antiquitate communem testatur Herodotus; et Philosopho viro Orientalibus linguis instructo multo ante suspicionem de ea aliquam creare poterant affines linguæ Arabica et Persica, quarum altera palmæ masculæ flores *palmae muscas* vocitare assolet (a quibus nimirum Assyrii fæcundari palmam fæminam existimabant) ab altera palmæ fæcundandæ ratio muscarum applicatio appellatur. Multa enimvero alia quantivis pretii latitare in eorum verbis doctrinæ semina eruditis facile suadeat vel immensa illa synonimorum, ut perperam vocitantur, copia, qua apud Arabas animalia et vegetabilia donari constat; quod certe non alia ex causa profectum credi par est, quam ex accurata et subtilissima earum rerum pervestigatione, qua du-

ce ut homines μικροσκοπίῳ instructi assolent; plurima in iis deprehenderint ad varios eorum status, ac proprietates spectantia, quæ aliorum oculos fugerant, quæque ne certa deinceps ac distincta nota carentia dilaberentur, opportunam nominum segetem postulabant. Quocirca nullus dubito quin aliquis ejus linguæ peritus vel ex ipsis eorum in hujusmodi rebus vocabulis prope absolutam naturæ historiam possit eruere.

Verum ut Hebraicæ linguæ finibus memet contineam, vos primum interrogo adolescentes qui Grecæ litteraturæ studio flagratis, qui antiquis poetis lectitandis vacatis sedulo, qui ne quæ vos eorum Veneres effugiant, ne quæ salebræ remorentur, versionibus et scholiis nequaquam contenti in lingua ipsa addiscenda et in antiquitate cognoscenda versamini: ecquid speratis posse vos in Græcorum Mythologia, hoc est in Cosmogonia, Theogonia, Religione, Historia esse aliquid, nisi Hebraica lingua densissimis tenebris quibus hæc litteraturæ pars obsidetur, facem præluxerit? abjicitê mea fide inanem spem, si quam habetis, ac scitote vestram doctrinam omnem, absque hoc præsidio tum informem, mancam, dissolutam tum vero ludicram ac nugatoriam futuram. Jamdudum præstan-

tes doctrina et eruditione viri Bochartus, Huetius, complures alii videre sibi visi sunt. Ethnicorum Theogoniam prope universam ab depravata atque interpolata Hebræorum historia fluxisse. Non est sane diffitendum multa ab iis feliciter, multa ingeniose explicata, eosque aut sæpe acu rem tetigisse, aut ad eam accessisse quam proxime: sed quoniam et illud fateri cogimur nonnulla esse in eorum interpretationibus longe arcessita, suntque præterea argumenta alia non contemnenda quæ hujusmodi sententiæ videantur obsistere, abstinebimus ab loco non undecunque munito satis ac firmo, et illud unice sumemus quod res ipsa videtur offerre. Græcorum Mythologiam fere omnem si minus ab Historia, certe ab lingua Hebræorum dialectisque finitimarum gentium perperam intellectis originem ducere. Nulla enimvero scientia callere Herculis ærumnas, aut zelotypæ Junonis injurias, aut cætera deliramenta quibus honestandis Ovidius egregios colores et insignem operam perdidit; at noscere quid illud sit quod acutissimorum hominum mentes usque eo perverterit, ut tam absurdis opinionibus religiosam fidem adhibuerint, ea vero scientiæ pars neque inutilis, neque aspernanda. Verum enimvero juventus nostra, hac philosophica

omissa cura, in solis fabulis perdiscendis miserrima sedulitate prope insenescit, eas excribit, eas, ita jussa, in memoriæ penum recondit, de iis superciliosi magistri rationem exposcunt, in iis si quis forte impegerit, ferulæ, si diis plàcet, nequaquam parcunt, quasi nihil tantopere caveant quam ne tenellæ puerorum mentes ineptiis, deliriis non satis mature imbuantur. At vero si non consuetudini magis quam rationi obsequentes, intelligentia ac judicio valere jussis, phantasiæ tantum aut memoriæ quomodo id quidem cumque consuleremus, ea esset præceptorum cura potissima, ne dulcia hæc rationis venena adolescentibus nisi pharmaco adhibito propinarentur. Pharmacum porro hoc non aliunde melius quam ex Hebraica lingua petieris, utpote in qua reconditæ fabularum origines latitant. Cum enim Phænicii vitæ cultum, religionem, artes in Græciam invexerint, cumque in Phæniciorum sermone (quem ferme eumdem cum Hebraico esse constat) et plurimæ sint peculiares loquendi formæ, translata plurima ab Græcorum consuetudine plane abhorrentia, et vocabula multiplici significationum numero sæpe obruantur, et demum vocalium, quo eorum scriptio laborabat, defectus, diversæ ac dissonæ pronunciationi ansam præ-

beat, videtis, opinor, quam latus hallucinationibus atque erroribus patescet campus, cum Græci aut translata pro certis, propria pro appellativis nominibus sumerent, aut vocabulo significationem non in rem natam aptarent, aut permutatis vocalibus alienissimos sensus extunderent. Accessit eò alterum incommodum nec leve illud quidem, nec satis evitatu facile: quippe cum non eædem prorsus singuliis populis litteræ sint, sed aliæ aliis pro cæli, solique diversitate sortito obtigerint, alienas Græci nec pronunciationi satis commodas strenue repudiantes, suas in earum locum sufficere propemodum coacti sunt, ex quo factum est ut plurima vocabula quodammodo interpolata et reficta nativam formam, originis testem, abjicerent. Ferenda enimvero necessitas, deliciæ nequamquam ferendæ: nimirum iidem Græci processu temporis sese unice ac sua omnia deosculati, cæteras linguas arroganter atque inepte despiscere, usque eo ut exterorum vocabulorum significationem perperam sæpe intellectam Græcis nominibus redderent, aut importune officiosi Græco incessu et cultu donarent, ne videlicet incondito sono barbaroque, ut ajebant, habitu suorum sensus delicatissimos læderent. Hac ii peculiari ratione sua

eo postremo devenere, ut sibi ipsis, ne dum cæteris, fucum facerent, et cum Græca fecissent plurima regionum, urbium, virorum nomina, Græca eorum specie decepti ab nativa lingua atque historia alienissimarum rerum originem quærendam putarent. Itaque quam mirifice turbarunt omnia, quam absurdis fabulis omnem antiquam Theologiam atque historiam infersivere! quam simplices res naturæ viribus nequaquam impares ab iis in prodigia ac portenta conversæ. Accedat ejusmodi larvis Hebraicæ linguæ lux: Iam Scyllæ Chimeræ, Sphinges, cætera monstra quasi lemures, oborto sole, evanescunt. Liceret quod hactenus dictum conferta exemplorum multitudine fulcire atque adstruere, nisi pulcherrimum locum opportuniori tempori indelibatum atque integrum reservarem.

Et erit qui linguam tam bene de saniore eruditione promeritam sibi obterendam aut ludibrio habendam existimet? quanquam ecqua tandem disciplina est, ecqua scientia cui non ejus linguæ studium aut necessarium sit, aut perutile, aut opportunum? Theologia? ex eo tota pendet! Naturale aut sociale jus! unde certius derivari possit quam ab ipso naturæ opifice, et a primævis societatis auctoribus?

Legumlatio? Humanum ne quisquam civitatis statum cum Theocratia, Lycurgum aut Numam cum Legumlatore Deo comparaverit? Ecquis porro eruditorum ordo, cui non Hebraica litteratura aut præsidio esse possit aut ornamento? Habent in ea Medici certa et peculiaria morborum genera, quæ ad eam Medicæ historiæ partem absolvendam plurimum conferant; habent Astronomi Iobæam siderum nomenclationem, in qua explicanda, et cum pervulgatis nominibus diligenter conferenda se exerceant; habent Botanici, totiusque naturalis historiæ cultores plurima herbarum, arborum, animantium, gemmarum, fossilium nomina, quæ sociali cæterarum Orientalium linguarum ope adnitente ignotas fortasse proprietates in vocabulo latitantes recluserint. Sane quantum Hebraici codicis lectio doctis in quaque facultate hominibus ad eam illustrandam conferre possit, Seldenus immortali opere de jure naturæ ac gentium ex Hebræorum legibus ducto, Meadus libello de morbis biblicis scripto, Bochartus et Celsius Hierozoico alter, alter Hierobotanico, monumento quisque luculentissimo commonstrarunt. Jam qui privatam populorum historiam, opiniones, ritus, consuetudines sagacissime perscrutantur, silvestresne ii

Americæ aut Africæ populos, Hottentotos, Huronas, Caraibos, Esquimoxios, Topinambusios superstitionibus implicitos, religionis ignaros, naturæ portenta non homines, digniores existimabunt in quorum moribus investigandis operam collocent, quam eum populum in cujus convictu ipso et domestica vita nihil prope arbitrio permissum, nihil non ex præscripto actum, nihil denique mysterio vacuum liceat offendere? Vos vero Rhetores qui in Thucididis aut Taciti densa illa et nervosa brevitate obstupescitis, licet ne vobis incuriosis esse ejus linguæ qua nulla adstrictior sit, nulla pressior, cujus vocabula et loquutiones sensu pergraves plures eodem tempore ideas exsuscitent, ut vel unicum sæpe ejus verbum vix integro alterius versu exæquaveris? Convolabo, præmoneo, convolabo, inquam, ad vos opportunius, Poetæ, minime vulgares animæ, genus vatibus prope par, quos si minus Deo plenos, certe prægrande quiddam et humano majus spirantes iis solummodo licet contemnere, qui bruta stupore contingunt; vos certe mecum habebo, vobis judicibus vincam; vestro plausu, vestris acclamationibus licebit ut spero eam linguam cæterarum principem renunciare, cujus Poetæ vere enthei tanto vi, splendore,

majastate, grandiloquentia cæteros obruunt, quanto divina in quibus versantur argumenta mortalem sortem, mortalia quotquot sunt omnia prætergrediuntur. Quocirca, adolescentes, jam enim ad vos redeo quibus præcipue nos omnes decet consulere; contemnite nebulonum dicteria, resistite imperitorum calumniis, ne sinite vos præjudicatis opinionibus ab optimo incepto absterreri; nobilem hanc sed prope apud uos situ obsitam litteraturæ partem strenue capessite; magna vos gloria, major spe fructus sequetur: sive vos sacra, seu profana studia ad se vocant, nolite existimare non plurimum studiis vestris tum utilitatis, tum ornamenti ex Hebraica lingua accessurum.

DE
NATURALI LINGUARUM
EXPLICATIONE

ACROASIS I.

Cum omnis humani corporis fabrica superni opificis dexteram aperte præsefert, tum ea maxime predicat loquelæ organum, quo nullum est, quod vel experrectis mentibus majora divinæ sapientiæ prodigia, vel gratis hominum animis luculentius beneficentiæ monumentum exhibeat. Sane nisi ita natura comparatum esset ut assueta et congenita vel sagaciorum animadversionem prætervolent, quem non altissimus admirationis sensus percelleret reputantem, exspirabilem aerem a perpaucis quibus impingit vocalis machinæ organis diversa ratione conformatum, et in voces fictum, humanæ mentis, quicum ei certe nulla communio, factum interpretem; ita ut ejus ministerio peragantur inter homines notionum ac sensorum commercia, et aperto per eum tramite in aliorum animis diversemur? Enimvero id prodigium, rem accurate perpendentibus, ei pro-

pe videatur geminum, quo corporeæ species non enarrabili transitu permeant ad animum materiæ nescium, in eoque perceptionum seriem exsuscitant. Quod si ea respicimus commoda que ab linguis loquelæ filiis in homines profluunt ea profecto ejusmodi sunt, ut eo unice benefacto omnis propemodum humanitas contineatur. Intrinsecæ quidem discrepantiæ hominum ac brutorum animos longis intervallis disterminant. Verum hujsmodi discrimen si humano sensu rem pendimus, potius ex linguæ usu aut carentia, quam ex alio aliquo externo indicio innotuerit. Multa siquidem in animantibus saltem inchoatæ ratiocinationis vestigia: multus in multis hominibus, atque adeo gentibus stupor, belluino, ne dicam deterior, certe quam proximus. Silvestres Americæ populi bene multi; animos peræque et corpora squalore obsiti, quorum vita omnis venatione, pabulo, et somno concluditur, adeo nihil habent præter linguam, quod eos magnopere a brutis secernat, ut perpaucæ quibus gaudent notiones magis ex vocabulis ortæ, quam vocabula orta ex notionibus videantur. Donetur contra repente loquelæ usu canum, simiorum fibrorum natio, in quibus tanta sæpe ac tam mirifica elucet solertia, quid est quin credamus,

aucta per linguam memoria, futurum fore, ut is etiam intelligentiæ modulus quem eorum natura recipit ita augeatur ut ipsos humanitatis terminos, quos iis transilire vetitum, prope contingant? Verum eo misso, unum est quod pro certo licet statuere, si mens ac ratio suarum sibi virium est conscia, si ratiocinationum catenas pertexuimus, si ab concretis et singularibus ad abstracta et generalia consurgimus, si cælum, terra, maria, natura omnis nostris investigationibus late subjicitur, si reciprocis conciliis atque amicitiis conjuncti, religione imbuti, moribus expoliti, muniti legibus, cultu, scientiis, institutis, artibus floremus homines, id omne aut unice, aut certe præcipue singulari loquelæ beneficio esse tribuendum. Quocirca cum lingua mentis non interpres tantum, sed educatrix prope dixerim atque perfectrix censenda sit, nihil est cur miremur, si omnem de linguis doctrinam exortam ex Grammaticorum manibus qui eam, quasi molesti illi atque infæcundi Asiaticarum formarum custodes, ad nostra usque tempora domesticis ergastulis detinuerant, primarii hujusce ætatis Philosophi sibi ipsi melioribus auspiciis asseruere, eamque scientiæ titulo ac jure donatam ita commentationibus ornarunt suis, ut ea

jam in Metaphysico regno provincia clara inter principes censeatur. Eorum nos virorum solidiori doctrina præstantium vestigia sequuti, statuimus hodierna die ad ipsum hujus disciplinæ caput ascendere, et explorata linguarum origine, qua ratione ars cum natura in iis extundendis promovendisque certaverint, vestigare: quo argumento nullum nobilius, nullum dignius vestris auribus, Auditores multo ornatissimi, neque res nostræ nec fortasse omnis res litteraria exhibuerit.

Operam, fortasse, aliquibus videamur ludere qui in loquelæ natalibus perscrutandis moremur, cum religione docente compertum sit eamdem homini et linguæ fuisse originem, ejusque vires hominum principem continuo statim in appellitandis animantibus præclare expertum. Vana mehercule opera, si nobis de re ipsa, non de facultate esset quæstio. Proloquutum vix ab ortu hominem, certo quidem ex sacris litteris constat; at illud non item constat contigerit ne id peculiari divini Numinis instinctu atque impulsu, an vero ipsius naturæ viribus juxta generales atque insitas leges quas ipse rerum opifex naturæ administræ suæ ad orbis interitum perduraturas constituit. Præterea quemadmodum dubitare minime li-

cet hominum parentem adjutore, institutore, magistro, nutricio prope dixerim gavisum Deo, ita nihil est quo vetemur credere, in multimodis populorum erroribus qui vel orbis naufragium vel peculiares terrarum eluviones ac vices sunt consequuti, infantes aliquos in desertis locis abjectos, in lustris ac silvis adolevisse, qui proinde omnium egeni atque ignari cogerentur quoquo pacto sibi ac suis rebus consulere, ac solis naturæ atque insitæ solertiæ viribus niterentur. Hominem ergo non Dei alumnum, sed naturæ filium respicientes, illud satis fidenter asserere videmur posse, infantium turbam sibi relictam, sicubi extitit, ubi primum vocis organa firmitatem sint debitam et habilitatem adepta; informe sibi idioma aliquod brevi effinxisse ita ut nullos uspiam hominum cœtus extiterit; qui tota vita sonis aut nullis aut indistinctis ad ferarum normam imitationemque uteretur.

Sciò hic multa solere objici quæ sententiam nostram infirment. Melebdinus Echebarus Indorum Rex, Purchasio teste, cum puerum ab cœteris seorsim habitum ali jussisset, ex eo adulta ætate ad se accito ne unicum quidem verbum potuit elicere. Princeps alter nescio quis, si Sennerto credimus, cum idem in tri-

ginta infantibus quod Melebdinus in unico expertus esset, sonos ex iis nulla articulatione distinctos exaudiit. Samojedi qui glacialis maris et Siberiæ oras incolunt peregrinatorum testimonio ab simiis, quoad vocem attinet, vix quicquam distant, Groenlandi beluinos clamores edunt, quos nunquam Danis aut Batavis sæpe expertis imitari licuit; Hotentotos denique si exaudias, Indicum gallum glocitantem non hominem proloquentem audire existimes. Nihil tamen est in hujusmodi exemplis, quod nobis magnopere negotium facessat. Nam primum Indicum puerum prorsus ἄφωνον constitisse nihil est quod miremur, cum eum ita altum constet ut et cæteri homines ab ejus commercio arcerentur, et ei tamen omnia ad vitam necessaria abunde suppeterent. Cum enim nulli subessent stimuli qui eum ad intimos sensus quoquo pacto explicandos adigerent, mirum quantum ea res vocalium organorum facultati et *flexilitati* debuit officere, quippe cum hujusmodi homini rerum specie et perceptione contento nullus loquelæ usus, nulla organorum opportunitas esse posset. Humano itaque bipedi ab cæterorum convictu atque adeo conspectu prorsus excluso, non aliud loquelæ genus esse par fuerit quam gestus admirationis indi-

ces, et exclamationes aliquas, quæ sponte sua eo nec valente nec advertente nonunquam erumperent. Atque illud etiam diligenter animadvertendum, hominem plus quam ferinæ solitudini perdiu damnatum, neque judicio neque intelligentia vigere, torpeat oportet ipsius mens, et una cum vocali tubo obrigescat: notiones perpaucæ, nullus ordo, nulla series, memoriæ penus præter perceptiones aliquot admodum simplices, inaniis atque araneis oppleta. Quocirca, vel si vocalia ejus organa repente mobilitate expeditissima cierentur, vel si linguæ, quæ torpore occalluerat exsoluti nodi sponte evanescerent, næ is tamen notionum nexu defectus, hæreret animi anceps quid aut quomodo diceret, iisque prorsus esset consimilis, quos sæpe in somniis loqui paratos, *inceptus clamor*, ut Virgiliano verbo utar, *frustratur hiantes*. Ita ut prius vocis inutilitate, sic postea idearum inopia obmutesceret. At vero ubicumque hominum vel inchoata societas, ibi semper aliqua loquelæ species, eaque satis distinta ut jure humana dici possit. Nam ex præfidentibus istis peregrinatoribus scire pervelim, eccui tandem cordato homini sese persuasuros existiment ut ab eorum judicio non provocet, cum de linguis sententiam ferunt,

quibus eorum aures alienissimis sonis imbutæ nondum assueverint. Puerorum acumen colludentium colloquentiumque intuemini. Ecquis nostrum eos intelligit, licet vernaculo idiomate balbutientes? ii tamen suas res belle agunt, blandiuntur, rixantur, narrant, rogant, respondent. Sæpius quam par erat usuvenit, ut populorum litteræ pro diversa vocalis machinæ textura inter se diversæ ab iis quibus eæ neque pronunciatu faciles nec intellectu pro aspirationibus aut sibilis sensu carentibus accipiantur. Fædissimos hominum Australis Affricæ incolas, qui pridem inter μέροπας non censebatur, re accuratius perpensa, gemina loquela præditos compertum est; quæ quidem loquela et norma, ut cæteræ, gaudet, et a Batavis colonis promiscue intelligi atque adeo satis commode usurpari solet.

Hæc cum sint, quid est quin Anticyram navigare jubeamus mirificum hominem Jo. Petrum Ericium hujus olim Gymnasii eruditissimum dehonestamentum, cujus illud solertissimum repertum est, humani generis patrem per sese elinguem vocales ab avibus, a brutis cæteris semivocales, mutas a piscibus didicisse? Est vero cur demiremur quid in mentem venerit audacissimo atque disertissimo hujus ætatis

Philosopho fidenter asserere ad linguam constituendam constituta jam lingua opus esse, atque homines nisi loquentes audierint, nunquam per se loquuturos, ita ut hæc omnis facultas non ex natura profluxerit, sed ex institutione atque imitatione efflorescat. At unde tandem (licet, opinor, ex hoc litterario Pyrgopolinice pudenter quærere) unde, inquam, isthæc imitatio ortum duxerit, si nullum exemplar ei ab natura propositum extitisset? Nisi forte ejus artis originem ad Deum auctorem ac magistrum referri postulat. Sana ea quidem et religiosa sententia, verum nec quicquam est in ejus Scriptoris disputatione ex quo istuc liceat arguere, et id mirum quantum discrepat ab singulari philosophandi ratione ejus hominis, qui de silvestri hominum origine ac statu belle ab sese adornatam fabulam deosculetur, quique in omnibus suis operibus nihil magis videatur metuere, quam ne quis eum in Sacris Codicis verba jurare facilem, aut de religione nimis sollicitum suspicetur. Cum is ergo omnia quæ ad hominem pertinent naturæ viribus tribuat, qua tandem ratione ductus in hujusmodi opinionem descenderit non admodum proclive intelligi. Nimirum loquendi non secus ac se movendi et cognoscendi facultas humanæ naturæ

par est. Nemo est qui perceptionibus careat, cur omnes loquela caruerint? Nil opus alieno exemplo ut deambules, cur ut loquare opus sit? Reptant infantes, agrestes homines nihil de Logicæ regulis suspicantur. At quemadmodum non inde illud arguimus proreptandum natura hominibus aut nusquam ratiocinandum; sed illud unice tum membris tum menti ut proprio fungantur munere, usu et exercitatione opus esse, ita ex puerorum vagitu, aut incondito atque ignoto certorum hominum sono illud jure nequaquam inferas eos ex naturæ constitutione perpeti linguæ infantiæ et indistinctæ pronunciationi damnatos.

Homines ergo ex naturæ legibus insita loquendi facultate a brutis secerni, licet, opinor, statuere: illud nunc inquirendum superest, sit ne certa aliqua et constans ratio qua sese ejusmodi facultas necessario evolvendam dederit atque explicandam, sive ut apertius rem proloquar, extet ne per se idioma aliquod nullius disciplinæ indigum, quodque homines sibi relicti non didicerint, audierint, acceperint, verum ex natura ipsa arripuerint, hauserint, expresserint. Natura ne an arbitrio indita sint rebus nomina anceps fuit inter Philosophos quæstio. Non multis quidem, sed magnis nominibus sese tuentur qui statuunt primævam linguam naturæ

debitam; acutissima Stoicorum gente, Sophorum Coriphæo Platone, P. Nisidio Romanorum post Varronem doctissimo, Leibnitio denique e recentibus ingenii vi, et omnigena eruditione in uno homine multas sapientum familias præseferente. Hi tamen *numero et junctisumbonephalangibus* obruuntur eorum qui linguarum principia fortuita existimant et infinito arbitrio permissa. Quid enim commune esse cogitationibus et sonis, rebus et litteris? quæ non modo nativa forma atque idea toto cœlo distent inter sese, verum ne promiscuo quidem sensu utuntur interprete, quippe cum res ad oculos, ad aures verba referantur. Unde porro nobis tam immensam linguarum farraginem, tam prodigiosam discrepantiam extitisse, si omnes æque homines in eodem naturæ ludo instituti a communi magistra unam atque eamdem linguam expressimus? Certe ut Platonice loquar quidquid *unum* id ab natura, ab hominibus quidquid *diversum*. Hæc itaque alia que afferunt speciosa sane et vero finitima: sed opportune succurrit veteris proverbii monitum *Festina lente*. Subsistamus parumper: fors aliquanto minus quam quis suspicari poterat arbitrio datum, fors in ipsa arbitrii licentia servatam tamen semper constantem naturæ normam liceat deprehendere. Esse aliquod res

inter et verba naturale commercium a sacris monemur litteris, in quibus perscriptum est divinum opificem animantes omnes ad hominem adduxisse, ut ipse despiceret (vim vocis animadvertite) quo quemque nomine vocitaret. Siquidem nisi aliqua in animantibus extitisset proprietas quæ intimo cum verbis nexu jungeretur, profecto nihil erat quod ille mortalium pater dispiceret, quodcumque tandem extrudisset vocabulum aerem semper inani sono verberaturus. Opportune igitur Sacer Codex quæstioni nostræ facem prelucet. Sed quoniam Adæ persona facile in hujusmodi disputatione carere possumus, ei vale dicto homines solis freti naturæ viribus in consimili temporis articulo constituantur, et qua ratione linguam sese iis evolvendam obtulisse par fuerit, disquiramus.

Imbecillos nos quidem atque infirmos natura genuit, non tamen abjectos atque inopes. Quippe instrumenta dedit necessitatibus sublevandis aptissima. Eadem intrinseco motionis principio donavit atque exciit, eorum usum commonstravit, cætera permisit industriæ. Id et in lingua factum ostendere proclive est. Infantes consideremus: tum innotescet facilius quid primævæ societati accidisse par fuerit; siquidem primævi homines infantes humani ge-

neris jure censendi. Simplicibus et figuratis sonis verba conflantur, e quibus vocales illos, hos consonos, Grammatici vocant. Dii boni! in quantillis elementis quanta fæcunditas! in quam tenui recula quantum præsidii hominibus latitat! Jam primum explicandis gratis aut molestis sensibus quibus homines vix in lucem editos videmus affici, egregios interpretes natura statuit simplices sonos, quos ii videlicet unicos eo tempore possunt emittere: qua ratione quodammodo admonuit, licet nutus, nictus, actiones demum loquela non nihil juvet, ad sensus tamen aperiendos, opemque poscendam, instrumentum præsentissimum esse vocem, in quo expoliendo sit postea homini, cæteris posthabitis, elaborandum. Cum porro interni quibus urgemur stimuli nosmet ad relaxandum modo, modo ad constringendum vocis tubum impellant, hinc vocalibus omnibus, sive omnibus potius unius ejusdemque vocalis modis et exprimendis et cognoscendis facile assuescimus. Ecce igitur vobis in interjectionibus prima et constantissima linguæ germina: mæror, stupor, metus, gaudium, affectus omnes suis quique vocibus quasi notis signantur, eæ fidissimæ internorum sensuum nunciæ, iis perculsus audientium animus continuo adfremit: ea loquela se-

mel arrepta nunquam dediscitur; in eam cœlo, solo, consuetudini juris nihil; ea genuina naturæ soboles, ut cætera rerum germina, expers interitus, nullis vicibus obnoxia, promiscue adhibita ab omnibus, et ab omnibus indiscrete intellecta.

Verum quod voci corpus quoddam indit atque habitum, id est figura in quam ab diversis vocali organi partibus, quibus in ea impingit, effingitur. Hanc quoque curam benevole in sese recipit natura ipsa. Vix enim hujusmodi partes firmitatem sunt aliquam atque habilitatem adeptæ, continuo eas illa ad motum impellit atque excitat, pro *flexilitatis* gradibus et expeditiore quæ cuique sortito obtigit mobilitate. Atque ex hac vocis conformatione qua eam mobilioris organi ictus artificiose distinxit, novus exilit primigeniarum et naturalium dictionum manipulus, qui neque hominum conventiones expectat, neque arbitrii temeritati subjicitur. Sane inter tot ac tantas discrepantias quibus irrumpentium irrepentiumque externarum causarum cumulus unicam linguam in innumerabiles familias dispescuit, nulla tamen, quod mirere, extat natio apud quam blæsa illa loquela, qua infantes sermoni præludunt, non autem iisdem aut certe affinibus litteris plerumque labialibus

constet, spiritu tantum leniore aut validiore distinctis; adeo ut ea vocabula quibus pupuli apud nos parentibus abblandiri solent, eadem in silvestrium Americorum ore versari præstanti vir ingenio Condaminius in sua philosophica peregrinatione deprehenderit. Quid est ergo cur dubitemus cum superius notato Philosopho linguam continuo statim evolutam credere, cum videamus omnia loquelæ elementa actutum suppeditata ab natura, et ad motum nexumque excitata, cumque linguæ omnes nulla re alia nisi multimoda horum elementorum agglomeratione conflentur?

Atque hæc insita loquendi facultas ut finem certius assequeretur suum, indicata vocalis organi fabrica, et effectis inde manantibus, natura (quæ pars potissima supererat) indigitavit insuper methodum, qua in universa nomenclatura uteretur, et exemplum quod sequeremur proposuit. Nimirum inter litteras et certas rerum proprietates, eas præcipue quæ ad auditum ratione aliqua referuntur, arcanam analogiam statuit quam sagax animus arriperet, eaque ductus ad res ipsas exprimendas quamproxime accederet. Enimvero cum litteræ in pronunciando aliæ ægre exploduntur, aliæ elabuntur atque effluunt, nonnullæ ablan-

diuntur organo, nonnullæ vehementius impingunt, quædam se cæteris facile agglomerant, reluctantur quædam, consibilat hæc, illa frendit, altera glocitat, nonne illud propemodum clamitant esse se certissimas notas analogis corporum proprietatibus exprimendis ab ipsa natura constitutas? Itaque dentales litteras constantibus rebus et firmis; gutturales hiantibus et laboriose excavatis; fluidis, lævibus, volubilibus liquidas; asperæ ac rapidæ vehementiæ caninam, anguineam sibilæ celeritati notandæ natas et conformatas verissime dixeris. Huc ut pervenit natura, ubi nos de hoc artificio suo solertissimo admonuit, dixisse videtur hominibus: nolite jam de me conqueri, habetis quod satis est, dædaleum organum, ejus gubernandi artem, vocis cum rebus harmoniam, vocum silvam: eam in immensum augere in vobis est: analogiæ vos deinceps atque imitationi permittite: egestati suppetias tuli, opes industria parabiles.

DE

NATURALI LINGUARUM EXPLICATIONE

ACROASIS II.

In superiore Acroasi erat illud, si meministis, a nobis dictum, substratum linguarum fabricæ ab natura solum, apertamque hominibus semitam, qua lente primum incedentes deinceps per iter multis intercisum divortiis, multis perplexum ambagibus raperentur. Ergo tacitis naturæ monitis impulsi homines ad experiendas organi vires strenue, indicato jam atque aperto tramite, progressi sunt, et angustum sane linguæ ærarium aliqua dictionum supellectile,rerum spoliis quodammodo instructa,locupletarunt. Nam primum tinnulis corporibus immorati et animadvertentes sonum commune quasi esse centrum in quod simul et res et verba convergerent, non extrudere iis vocabula sed sibi ultro oblata sumpsere; quæ quidem egregia methodus ab Græcis acutissimis hominum *κατ' ἐξοχὴν Onomatopeja*, qua-

si genuina indendorum hominum ratio jure appellatur; tum quoniam soni vehiculum motus est, desumpta ab sonis vocabula ad mobilia identidem corpora traduxerunt; postremo variis rerum proprietatibus repræsentandis analogis litteris, natura duce, usi sunt: e quibus diversa vocalis organi membra eas sibi in nominibus addiscendis pro jure vindicarunt suo, quæ ab ipsis in vocem incurrentibus procuderentur. Hanc peracutam rerum assimilationem vividius in linguarum infantia sentiri par fuerat, in qua simillimum vero est, singulas ideas una aut altera littera simplici voci appicta insignitas, cum adultis linguis vocabula tot paragogis aucta, tot extraneis infercita sint litteris, ut princeps ille ac nativus radicis sonus multiplici adscititiorum numero prope obruatur.

Ceterum ex variis hisce verborum classibus, sive seminibus potius, quid est quin aliqua naturalis linguæ species exsurgat, quæ simplicium derivationum ope satis fortasse esse possit paucorum hominum tribui aut familiæ doctrinarum atque artium rudi, quæque nec admodum vitæ necessariis indigeat, nec nimia notionum copia laboret? Enimvero si perplura essent hominum agmina, loco quidem plane

discreta, sub eodem tamen cœlo degentia, eadem organorum flexilitate instructa, atque in eo statu posita, ut iis externæ species iisdem successionis gradibus, eodem ordine dispositæ objicerentur, facile existimo fore ut singula dum suam sibi linguam effingunt secum identidem in nomenclaturæ genere convenirent. Sed quoniam et natura res ipsas perquamsimillimas aliqua semper varietate distinguit, et subtilior organorum textura vel minima cœli solique diversitate diverse afficitur, et in exercendis ejusdem organi motibus, licet idem omnes exemplum sequantur, multa tamen vel invitis inserpit difformitas, tum ex arctiore aut laxiore hiatu vocalis tubi, unde unica vocalis littera in plures dispescitur, tum ex varia aspirationum copia et natura, tum ex asperiore aut leniore consonarum spiritu, tum ex libero certarum litterarum concursu, quæ sese radicibus passim agglomerant, tum demum ex diverso consonarum ac vocalium ordine et multiplici earumdem implexu; fit ex his omnibus necessario, ut hujusmodi idiomata, licet quæque ab natura profecta pro una eademque lingua censenda sint, aliena tamen ac sibi invicem extranea non diligentissimis videantur, et dialectorum discrepantiam præseferant; quæ

quidem discrepantia brevi protractionibus, derivationibus, flexione, compositione mirifice aucta, eo tandem processerit, ut communis originis et ejusdem naturæ vestigia multimodis indeturbata plane evanuerint. Sed hæc quidem ad linguarum adolescentiam pertinent: nos in earum infantia cognoscenda occupati, ad eam regredimur.

Hactenus igitur linguarum conditoribus inculpatis licet esse, non illaudatis: necessaria omnia, omnia ad naturæ normam exacta, omnia ex rebus ipsis graphice expressa. Sed (fatendum est enim) ut ut pretendatur latissime isthæc nominandorum corporum ratio, angustissimis semper finibus circumscribitur. Infinita sunt, quæ cum auditu adeoque cum vocis sono nulla neque proxima neque remota affinitate junguntur. Quid ergo? hic nimirum est ubi instinctus industria juvatur et regitur. Quid ad hæc homines? nihil expeditius, dixerit fortasse aliquis: quidquid iis primum objicitur , id fortuita litterarum articulatione ut quæ primum in buccam venerit, connotetur. Hæc ratio et re ipsa obtinuisse multis videbitur, et philosophorum nonnullis facile arriserit, utpote quæ arcendis erroribus, qui,al tera via, quam ab natura indicatam, nitemur

ostendere, in linguas influunt, videatur accommoda. Sed primum isthæc methodus, si tamen hoc nomine digna est, primo aspectu facillima, facto ardua. Nihil fieri sine causa, vel Leibnitio tacente, nemo non sentit. Quotidiana experientia constat, in exercendis tum animi tum corporis motibus, ubi nulla potior pro alterutra parte stat ratio, hominem pendere animis, suarum prope facultatum usu destitui, et cum ei liberum sit in utramve propendere partem, neutro inclinare. Quæ porro potior vocis præligendæ causa, si nihil est quo arcessatur! Evolvitur in infantia ab natura ipsa certi organi motus, impeditis cæteris; ut ubi singula per ætatem æque expedita æque firma, nullus est prælectioni locus, cum unumquodque æquo jure gaudeat, et æque possit titulum rei sua peculiari nota signandæ affectare. Fac vero isthuc tam proclive esse, quam vulgo creditur; qui quæso speraveris cæteros homines nulla communi norma ductos colloquentis sensum assequturos? cum reliqui eadem libertate usi æque facile eidem notioni diversissimam articulationem affixerint, quam ut cum tua permutare velint nulla probabili ratione possis adducere.

Verum quod caput est, arbitraria isthæc nomenclatura, nisi nos valde fallimur, mirum

quantum mentis progressibus adversaretur. Quæ omnia in hac aspectabili universitate oculis nostris se se offerunt ea reciprocis implicata nexibus totum quoddam unumque conficiunt. Jam scientia nihil est aliud quam vivida et distincta rerum nexuumque perceptio. Ad eam igitur ingenerandam necesse est ut ideæ rebus quam exactissime fieri potest respondeant, eamdemque secum rationem habeant, quam servant res ipsæ inter se. Profecto si rerum ideæ se se nobis abruptas, et ab cæteris affinibus plane intercisas objicerent, singularibus tantum atque individuis constaret scientia, seu potius ea nulla esset, oberrarent animo insolidæ fluxæque imagines, vigilantium hominum somnia, omnesque mortales illis hebetibus essent consimiles, qui se nihil cogitare ingenue fatentur, non quod perceptionibus careant, sed quod eæ nullo vinculo copulentur. Verum, nisi signorum ope, notiones neque excitantur in animo nec ipsi adhærent. Signa ergo et cum ideis et cum se ipsis eodem nexu jungenda, quo et cum se ipsis et cum rebus ideæ junguntur. At in rebus visioni subjectis natura ipsa huic arctissimæ triplici texturæ videtur obsistere. Si tamen idcirco nulla certa norma est qua verba cudantur, jam nova quæque res novo vocabu-

lo donabitur, jam obruetur memoria dissociatarum dictionum congerie, jam nullus ab verbis ad ideas neque directus transitus neque transversus, notiones vocibus temere appositæ ægre iis adhæreant necesse est, et intelligentiam analogia verborum nequaquam adjutam, ipsa quoque rerum analogia copulatrix facile effugerit. Quid igitur agendum? quod datur boni consulamus, recedamus quam minimum ab naturæ tramite; si quando impegerimus, viam tamen semper omnium rectissimam tutissimamque insistemus. Nullus, fateor, inter voces resque aspectabile nexus est; at certe voces inter et voces, ut res inter et res, ideas atque ideas est maximus. Jam, ut superius innuimus, in primæva illa Onomatopeja voces quidem directe nihil præter sonum corporis exprimunt, at reflexim imaginem ipsam universis corporis excitant, suis nativis characteribus rite distinctam. Quocirca ubi novo aliquo aspectu percellimur, explorari continuo par est, nunquid ea species cum altero corpore pridem cognito commune habeat, tum vocabulum exquirendum quod vocabulo perspecti jam corporis indici tam belle assonet, quam corpus corpori congruit: ita recens hoc signum prioris ideam exsuscitans, exsuscitabit pariter ideam soni a prio-

re corpore editi; qua contacta, simul illico erumpet ipsius corporis effigies ingenitis proprietatibus convestita, inter quas non erit animo difficillimum eam secernere, quæ recenti corpori, ut vocabulum vocabulo, consociatur; ac vicissim vetustiore voce pronunciata, extemplo et vocis voci consonæ et corporis corpori analogi idea excitabitur; atque ita paullatim continenti serie implicabitur reciproca illa signorum et notionum catena, qua omnis, quantulacumque data est mortalibus, scientia pertexitur. Equidem non diffiteor, singulæ res pro variis earum aspectibus, aliquam cum pluribus eodem tempore rationem habeant, facile fieri potuisse ut homines iisdem rebus nomina ab diversis fontibus ducerent; cum tamen æque omnes similitudinis vestigia sequerentur, credibile est eos brevi, eadem duce, e bivio in eandem semitam regressos, et e duobus vocabulis simul collatis aut illud obtinuisse quod expressiores rei notas præseferebat, aut re satis explicata mansisse utrumque, unde primum, ut obiter dicam, synonimornm in linguas usus facile influxerit.

Esse hanc unicam ab natura propositam methodum illud, mehercule, invicto argumento est, quod a primis ad hæc usque tempora quibus acutissima ingenia se se Metaphysicæ la-

byrinthis assidue provolvunt, nullus tamen extitit Philosophus qui novæ idearum copulæ indicandæ dictionem procuderit plane novam, ac non eam potius alterius vulgo jam cognitæ nota signaverit, quo scilicet facilius alludens notioni notio alludentium vocabulorum ope excitaretur. Id itaque et a primævis terrarum philosophis factum jure, opinor, existimandum. *Identitas* (assuescant Latinæ aures necessariis vocibus), *derivatio, compositio*, tria instrumenta sunt, dictionum soboli propagandæ passim adhibita. Nam si qua res communibus prorsus cum altera utebatur insignibus, communique inserviebat usui, communi quoque vocabulo videbatur esse insignienda; si altera alteri origine, ministerio, aspectu, aut respectu aliquo jungeretur, eam homines affinitatem aut affinium litterarum intermixtione, aut certis quibusdam flexionibus indicabant; si qua demum geminæ naturæ particeps, aut e duabus videbatur esse composita, ea aut duobus nominibus juxta positis, aut e duobus conflato tertio connotabatur. Hac ratione, et voces syllabis, et lingua vocibus mirifice aucta, hac et substantiarum nomina ab modis, et ab nominibus verba ducta: dictiones singularibus primum addictæ, paulatim amplexæ genera, gramen her-

ba factum, poma fructus, animal pecus: voces tum pro novarum vocum exemplaribus, tum pro rerum speculo habitæ, et commercium inter res et mentem, quod in tinnulis corporibus sonorum ministerio peragebatur, id in visibilibus, primigeniarum dictionum ope, quæ naturæ quasi nepotes censendæ, feliciter peractum; ita tamen ut verba licet multiplici derivatione longissime adducta, expressas tamen genitabilis illius soni, unde fluxerant, servarent notas, quemadmodum in transversis ac multifidis idearum diverticulis, si constanter et presse vestigia relegere instituas, aliquando ad principem illum catenæ annulum, a quo cæteri propagantur, ascenderis.

Cum vero animus experrectior ac sagacior factus insitas sibi vires cæpit exerere, et ipse vicissim agere in res, resolvere ideas, rursusque resolutas componere, exuere singillatim suis qualitatibus corpora, plicare se ipsum in sese, novumque intelligibilem orbem sibi pro arbitrio confingere, tum vero hujusce methodi necessitas, et analogiæ utilitas maxime patuit. Cum enim animus ex una parte ebullientium notionum examine premeretur, ex altera vero possint quidem, sensus per se ipsos in animum agere, animus conceptus suos reprehesentare

nisi sensuum ope non possit, necesse ei fuit in physicis corporibus explorare lineamenta et colores quibus succrescentem hanc intelligentiæ sobolem convestiret, et imitatione duce sensibile quodpiam ad quod referretur archetypum comminisci. Hinc quemadmodum eadem corpora et physicam imaginem, et abstractam ideam exhibebant, ita eadem vocabula et pro imaginibus corporum, et pro idearum symbolis passim accepta; hinc animi facultates, affectus, habitus, actus nomen sortiti ab illa sensibili re quicum proximiore analogia nectabantur; hinc anima ipsa Hebræis et Latinis fuit spiritus quo vita constat, Græcis multo ingeniosius ψυχὴ seu papilio, quem et irrequieta ac subsultoria idearum peragratione, et facultate ex circumvoluto sibi carcere ad potiorem vitam expedite evolandi perbelle refert; hinc eadem apud Latinos *cogitat*, hoc est perceptiones in unum cogit et congregat; apud Gallos et in res et in se ipsam *reflectitur*, apud Italos rationum momentis quasi trutina *pensitandis* assidue vacat, hinc *sapit*, *delirat*, *angitur*, *gestit*, *exsultat*, hinc demum universum physicarum rerum choragium sibi adsciscere non dubitat, seseque ut numina in fabulis corporea schema spectandam præbere.

Atque ut facilius credas esse id ab una et constanti naturæ lege profectum, eamdem methodum et in antiquissima scriptione servatam invenies, quæ quidem scriptio muta sermocinatio est, ut sermo pictura loquax; ea affatur oculos ut isthæc appingit auribus; arduum utrique munus, utrique sollertia par, paria offendicula proposita, pares exsorbendæ difficultates, paria obstacula perrumpenda. Atqui constat primum in terris ἀλφάβητον fuisse delineatas corporum figuras, figuras ipsas processu temporis hieroglyphicas factas, et a propria significatione ad symbolicam sponte traductas, abstractas ideas non characteribus sensu vacuis, quales Arabicæ numerorum notæ, sed physicis rerum imaginibus complexas, Chimæris, Tragelaphis, Cynocephalis, Hippocentauris, quovis monstro potius, quam inanibus atque arbitrariis linearum implexibus fuisse expressas, omnesque litteras, quæ non sonis, ut nostræ, sed notionibus repræsentandis inserviant, cujusmodi etiam nunc ab Sinensibus usurpari compertum est, nihil esse aliud nisi monogrammas physicarum rerum effigies, corporumque compendia in expeditiorem scriptionis usum inventa.

DE

NATURALI LINGUARUM EXPLICATIONE

ACROASIS III.

Gravis est philosophorum querela de vitiis incommodisque linguarum. Eas nimirum, inconsulti impetus, non maturæ rationis sobolem, a populo eductas, a Poetis blandissimis errorum nutriculis altas atque auctas, offudisse veritati nebulas collata philosophorum opera non facile disjiciendas. Nam quemadmodum in analyticis supputationibus unica litterula lapsus in tota operosa argumentatione frustra fueris, eoque a vero aberres longius, quo cætera peregeris accuratius; ita persæpe fieri ut error in aliquo vocabulo latitans irrepat primum in judicia, tum ratiocinationem pervertat, postremo populares opiniones, omnemque communem vitam fœdissime inficiat. Præcaveri hoc incommodum potuisse si linguæ fœtibus excludendis obstetricata esset philosophia, quæ poeticam

dialectum,qua ab ipsis jam incunabulis linguæ infuscantur, arceret procul, et naturam ac veritatem, cujus ea interpres, assidue consulens, notionem quamquam tam sinceris ac certis vocabulis figeret, ut in excipiendis sermonibus intelligentiæ officium nullæ biformes imagines interturbarent. Eane jactatio tam vera sit quam magnifica vobis jam ipsis propemodum, auditores ornatissimi, licet statuere. Quippe id ut liceret aperuimus hactenus linguarum fontes; ipsa, qua datum, loquelæ germina oculis vestris subjecimus, eorumque vegetabilem vim, atque artis in ea evolvenda ac regenda officiosam et catam operam indicavimus. Illud inde, opinor, colligere proclive est, in linguis instituendis id plus minusve factum quod fieri poterat, methodum adhibitam quæ optima hominibus data: insita necessitate cogente onomatopœjæ primum, tum analogiæ linguas ad unam omnes in terris debitas: quæ methodus aliquando minus consultis philosophis in votis fuerit eam naturæ imperiis, vitæ usibus, intelligentiæ rationibus æque adversari. Jam ergo ut rem absolvamus occurrendum etiam adversariorum criminationibus, ac de vitiis quæ jam ab ultima origine linguas inficiunt, pauca dicenda. Ea nos non modo diffitemur, sed explican-

da etiam et commostranda suscipimus, ita tamen ut parati simus ostendere, quæ in linguis reprehendantur vitia, nulla humana sapientia potuisse evitari, quæ inde consequantur incommoda non nomenclatoribus, sed linguæ, immo nec linguæ ipsi, sed inconsultæ rationi tribuenda; cui si remedia satis valida adhibeantur, nihil jam necesse fuerit linguas de mentis progressu meritissimas criminari.

Satis igitur superius ostendimus linguarum conditores aut naturæ hæsisse vestigiis, aut ab ea quam minimum divertisse; eaque usos methodo qua nulla nec opportunior neque accuratior. Sed videlicet homines sumus: nihil ab omni perfectum parte in homines cadit: qui tandem igitur lingua sese communi huic humanarum rerum legi subduxerit? Multa sane multimodis peccasse Saturnios homines, aut ignoratione veri, aut inconsultis notionum nexibus, aut non satis apta derivatione verborum facile assentior, nihil tamen est cur in hoc immoremur, aut cur in eo morosus aliquis philosophus magnopere debacchetur; cum demonstrari possit vel si illi penitissimis philosophiæ imbuti essent atque instituti mysteriis, vel si ab hujusmodi peccatis sollertissime ac diligentissime præcavissent, nulla tamen ratione insita lin-

guæ vitia potuisse declinari, et verba semper curiosis et inertibus hominibus uberrimum errorum fontem aperitura. Ac linguam quidem generatim, et suæ indolis vi, phantasiæ magis quam judicio favere necesse est, cum judicium in secernendis diversis, phantasia et lingua in vestigandis similibus occupetur. Verum hoc omisso, fac humani generis proavos pervasisse animo ad ipsas rerum substantias, quæ vulgus æque ac philosophorum acutissimos latent, fac eos universam summam mente complexos eorum quæ singulis corporibus propria, e quibus in dies emergit aliquod quod hucusque animadversionem effugeret; illud tamen certum est, non potuisse eos rebus nisi ab unica ac peculiari proprietate nomen indere: et quoniam in eo usum magis quam scientiam jure spectabant, ea hujusmodi debuerat esse quæ et sensus acutius pungeret, et commodius sensibus pingeretur; ex quo factu facile, ut homines paulatim assuescerent in unica illa proprietate, quæ nomine commonstrabatur, animi obtutum defigere, ac deinceps pro substantia ipsa modum aliquem sumere, qui ab ea fortasse vel minima jactura posset avelli. Cum vero res altera ad alteram genere, effectu, causa, materia, usu, fine, extrinseca conformatione, intrinseca vi,

sexcentis demum rationibus referri possit, exprimitur quidem vocabulo analogia aliqua, sed infinita mehercule et vaga, non satis certo et distincto congruentiæ reciprocæ puncto; quo fit ut homines in ea voce exaudienda nexum sæpe inter res aut ideas inesse autument longe diversum ab eo qui natura est, quique priorum nomenclatorum animo obversabatur. Cum *animam* vim eam qua cogitamus vocitari inaudio, satis ipso nomine moneor, eam inter ac spiritum affinitatem aliquam intercedere; sed illud non præmoneor, ea ne affinitas in hoc sita sit, quod anima spirabilem hanc et vitalem auram conservet ac foveat, an quod aeris ritu invigilis corpori adsit, an quo demum ea vis ipsa tenuissimo dividuo spiritu confletur et constet. Porro ipsorum hominum facta, opificia, consuetudines, instituta, unde potius nomen sortirentur, quam ab insigni et sensibili aliquo adjuncto, quod aut prænotum omnibus, aut in omnium oculos facile incurreret? Quid tum postea? adjunctum aut res ipsa tempore evanescit, vox permanet: tum inobscurata rerum memoria unusquisque pro arbitrio interpretem agit, et genuina etimologia defectus fabulosam aliquam somniat. Postremo ut menti a proprio verborum sensu ad symbolicum apertus est

transitus, in prima nominum institutione, ita promptus ab symbolico regressus ad proprium, cum primus ille respectus qui translationis nodus est oblivioni datus, aut aliis magis eminentibus oppressus atque obrutus.

Atque hic est operæ pretium animadvertere ex iis quæ attulimus illud inferri posse, quod παράδοξον fortasse videbitur, hæc linguæ vitia (sinamus eam tantisper in falso versari crimine) tum minimum noxia esse cum maxime sunt pervulgata et communia, magisque rationis sinceritati fervidam linguarum adolescentiam, quam rudem infantiam obesse. Enimvero dum et verborum recens origo et conventorum tenax memoria; dum constans consuetudo quotidie propemodum animo vocabulorum genesim subjiciebat; dum translationes necessitate receptæ, non luxu conquisitæ; dum notionum dictionumque penuria utraque in scenam eodem copulata vinculo adducebat sæpissime reducebatque; profecto mentem vocabulis non magnopere abusam putaverim, et homines perceptionibus copiosos, ratiocinii parcos, magis utendi cupidos quam cognoscendi, vero admodum simile est in ignorantia perdiu antea quam in errore versatos. Ubi vero tum verba tum ideæ a primis radicibus infinita derivatione distra-

ctæ, et spatiis longissimis dissitæ; ubi linguæ migrationibus, coloniis, bellis, religione, commercio, artibus sæpissime interpolatæ et refictæ,ac nativa sermonis sylva insititiis ramis incomposite effronduit; ubi auctis rerum luminibus, perceptione ascensibus et descensibus in articulos prope distincta, synonimorum turba succreverit, et rationalis dialectus poeticæ indiscriminatim admixta; ubi vulgus oscitanter, Sophistæ subtiliter, ille abnormes rerum nexus, arcanos isti et reconditos aucupati; ubi præ impotentis usus lascivia vocabulorum fastidiri alia, alia in deliciis haberi cæpta; ubi populus curiosa socordia, compendiariæ doctrinæ cupidus, expeditius duxit eam ab verbis quam ab rebus ipsis exquirere: ubi consuetudo consuetudine protrusa, mentis et linguæ annales neglecti, etymologicum stemma vetustate corrosum: tum similia pro iisdem habita, adjuncta pro insitis, tum analogia pro natura sumpta, pro substantia modus, nomem pro re, tum primæva lingua quæ sincera aut in vetustis poematis, aut in publicis monumentis asservabatur pravis interpretationibus detorta et corrupta, atque homines originum ignari, et ab absurdo principio profecti eo in fœdiores errores prolapsi sunt, quo majore in deducendis consectariis subtilitate pollebant.

Atque hujusmodi peccata tam multa sunt tamque gravia, ut operam minime lusurus videar, si ea mihi proposuerim peculiari acroasi explicanda. Illud in præsentia animadvertisse sufficiat, linguam erroribus ansam quidem necessariam præbere, non tamen errores ipsa progignere, quos unice inconsultis et præproperis mentis judiciis acceptos merito referes. Sane ecquod est linguæ officium, nisi ut memoriam signo, phantasiam imagine exsuscitet? ubi rem quoquo modo delineatam exhibuit, ubi aliquam rei notam indigitavit, suo munere functa est; nihil ab ea poscas amplius: mentis est non hærere verbo, per ejus vestigia quasi per rerum corticem in medullas ipsas pervadere, et aperta per linguas rima obtutum intendere ad earum naturam, quam proxime fieri potest, introspiciendam. Quocirca quemadmodum ubi corporum figura aut magnitudine illudimur, non oculi culpandi, quibus liberum non est aliud exhibere animo, quam speciem ab corpore impressam, sed animus ipse, cujus erat propria vi minus accuratam imaginem emendare, ita si quando ex lingua in errorem trahimur, de mentis temeritate queramur, quæ neque rerum neque linguæ natura satis perpensa mavult sese interpreti suæ totam per-

mittere, quam insitam vim exercere, atque ubi per imprudentiam ab veri tramite deflexit, ducem ipsam calumniis impetit, cujus unicum crimen est voluisse ei se officiose ac benevole pro suæ facultatis modulo opitulari.

Proficisci hoc ab congenito menti morbo dubitare qui possumus, cum videamus mentem ea sæpe ipsa depravasse ac pervertisse vocabula, quæ ab ejus ministris philosophis in ipsius præcipue commodum, et expeditiorem rationis exercitationem essent inventa. Sane specierum, generum, moralium, et metaphysicorum modorum nomina non in alium finem instituta, nisi ut mens et se ipsam, et quæ eam circumstant distinctius cognosceret, atque ut res in classes tributæ notiones ab notionibus sollerter disjunctæ seorsim ac singillatim sinceriori judicio subeundo intelligentiæ examini sisterentur. Veruntamen ut ille in fabulis cum umbra ab suo corpore projecta quasi cum altero homine colloquebatur, ita mens ab se ipsa conficta εἴδωλα pro rebus sumpsit, et quod ea in *intelligibili* universitate temporaria aliqua atque umbratili gauderent vita, eadem in naturæ regno esse aliquid, et in solidarum rerum serie locata vitam vivere neque substantiis neque ipsi parenti suæ intelligentiæ debitam, exi-

stimavit. Hinc anima unica atque individua in tot partes, imo vero in totidem animas distincta, quot facultatibus prædita, aut in quot actus exeritur; hinc ideæ non modo ab hominis, sed etiam ab Dei mente sejunctæ, ac pro æternis rerum archetypis habitæ, quæ divinus opifex extra se ipsum (nefas auditu) consuleret; hinc homo, animal, saxum, arbor nihil fuere nisi *humanitatis, animalitatis* (notionum opinor soliditas verborum barbariem deprecabitur) *saxeitatis, arboreitatis* effluvia; hinc scholæ refertæ commentitiorum entium quasi somniorum multitudine, et in earum castris λογομαχίαις et σκιομαχίαις a larvatis hominibus indesinenter certatum; hinc *privatio* (quis crederet?) principii honore donata; hinc denique Valentinianorum Eones Christianam Ecclesiam intestinis discordiis, fœdioribus ne dicam rationi, an religioni acerbioribus, proSciderunt.

Cæterum, ut orationi finem faciam, ex iis quæ diximus manifesto apparere arbitror, linguarum studium magis etiam ad Metaphysicum quam ad Philologum pertinere, illudque necessarium esse, ut Philosophia simul et eruditio conspirent amice inter se in hoc solo, uberiore quam vulgo creditur, excolendo; ut

altera linguas generatim omnes considerandas suscipiat, altera in singulis discutiendis versetur linguis, illa tanquam *phrenometro* utatur, et ex vario earum statu naturalem intelligentiæ explicationem eliciat, hæc ab alicujus populi lingua nationis opiniones et consuetudines eruat, aut ex opinionibus et moribus perdiscat verborum vim et scriptorum mentem callide evolvat; utraque tandem socialibus auxiliis adjuta in id omnem intendant operam, ut errorum cumulo quibus obsidetur humanus animus quotacumque pars detrahatur.

Hæc habui quæ de naturæ atque artis collata opera in linguis tum præformandis, tum promovendis partim ex sapientium virorum doctrinis, partim ex meo ipso qualicumque ingenio dissererem. Quæ si mihi apud imperitam multitudinem, aut apud minutæ eruditionis amatores essent dicenda, multus sane fuissem ac verborum largior. Sed cum in subselliis sedere videam homines mentis vi, et exquisito cultu præstantes, dedita opera temperandum in eo mihi statui, et eorum sapientiæ jure confisus, malui nonnulla experrectis et callidis ipsorum ingeniis relinquere, quam in singulis enucleandis illiberali et scholastica sedulitate immorari. Nihil igitur necesse est, ut aut

nunc, aut alias, si quando obtigerit, orationis brevitatem deprecer: neque enim ii vos estis, Auditores, qui justum orationis spatium verborum numero, sed qui idearum copia, progressu, ac nexu metiamini; neque vero meum est, aut rerum densitatem ac vim sterili vocabulorum ubertate laxare atque obtundere; aut figurarum intemperiis in argumentis pacatissimis debacchari, aut luxuriari communibus et pervulgatis locis, aut continenter per eumdem orbem circumagi, aut lippis et tonsoribus nota moleste obtrudere, aut exempla non in rem nata coacervare, aut auctoritatibus pugnare in rebus auctoritati nihil debentibus, aut demum ad cæteras non augendæ sed inflandæ orationis artes confugere. Omnino illud mihi semper propositum; ut rem dicendi genere exæquare studeam, iisque potissimum utar tum loquutionibus, tum sententiis, quibus multo plures, si fieri possit, compendi faciam; atque ut in promovendis affectibus, et in argumentis ad pompam dignitatemque compositis facile pobaverim copiosum illud ac torrens dicendi genus Homerici Ulyssis, qui nivium hibernarum ritu verba devolveret, ita in rebus intelligentiæ potius quam sensui propositis, Menelai concin-

nam temperantiam mihi præoptaverim, qui dicere solitus

Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπεὶ ὀ πο-
    λύμυθος,
Ουδ' ἀφαμαρτοεπὴς, ὁ δ' ἐπιτροχάδην ἀγορεύε.

Hanc ego dicendi rationem si vobis, auditores ornatissimi, probari sentiam, ac præcipue egregio Viro, quem hic cum gratissimo animi sensu assidentem conspicor, ut unum e multis cum pro multis facile sit, satis amplum videbor mihi meorum in hujusmodi studiis laborum fructum assequutus.

DE
ERRORIBUS
EX TROPICO LOCUTIONIS
GENERE ORTIS

ACROASIS I.

De variis acturus erroribus, qui ex prava translatorum verborum interpretatione proficiscuntur, ut me in superiore acroasi facturum, si meministis, recepi; obruerer citius materia, quam eam exhauserim. Itaque ne in immensum divagetur oratio, ea tantum delibabimus, quæ aut memoratu utiliora, aut minus ab aliis animadversa.

Silvestres homines ac rudes aspectabili hac naturæ scena perculsos, singulo quoque visu obstupentes, pro veris, quas ignorabant, causis falsas commentos, notisque rebus pro ignotarum norma temere abusos, et analogia deceptos ad inanima sensuque carentia humanos affectus atque habitus transtulisse, id et experientia satis probatum, et naturæ consonum.

Verum si quis certos adolescentis intelligentiæ gradus et linguæ originem propius consideret, judicabit, opinor, multo facilius ex nominibus errores fluxisse, quam ex erroribus nomina. Nam ut, in humana conditione, indigentia ordine prior est, commoditates longissime subsequuntur: ita prior humani animi status videtur esse ignorantia, alter multo posterior opinio. Enimvero hominibus multimodis necessitatibus circumventis, vexatis tempestatum vi, cum feris crebro colluctantibus, in aspero parcoque victu laboriose conquirendo occupatis, ecquis tandem vacasse putaverit tempus vitæ tolerandæ debitum in rerum natura, earumque causis otiose investigandis insumere? Quod si ratiocinandi facultas necessitate compressa non admodum properabat erumpere, longe profecto dispar loquelæ ratio. Quippe et ad intimos sensus exprimendos, et ad indicandas externas res, et ad reciprocam opem poscendam erat continuo statim suppellex aliqua necessaria verborum, quæ instinctu parabilis, vitæque usibus accomoda, mentis moram non expectaret. Cum porro, ut superiore oratione satis, ni fallor, ostendimus, post onomatopœjam unica sit vocabulorum inventrix analogia; necessario factum est, ut homines modo ad animi status explicandos cor-

poreis, modo ad corporum aspectus connotandos animatis quodammodo vocibus uterentur. Apparet ergo stata pridem et fixa fuisse nomina, incertis adhuc ideis et fluctuantibus, et judicia multo ante verbis quam menti adhæsisse, quæ tamen diu pro rerum indiciis, non pro judiciis, sint habita. Institutos hosce a natura gradus in pueris facile agnoscas. Siquidem in iis videas percipiendi facultatem expeditissimam, tardissimam judicandi; videas eos ubi quid novum aspexerint continuo quid illud sit percontari, inaudita voce quasi re intellecta acquiescere; ex quo colligere licet eos de nominibus sollicitos, securos de re, satis habere si externa specie vocabulo affixa et colloquentes utcumque intelligant, et ipsi ab aliis intelligantur.

Ubi vero societate solidius constituta, sedatis naturæ clamoribus, hominibus ad humaniorem vitam traductis, otiosis aliquando esse licuit, tum animus ad res indagandas, insita curiositate sese jam evolvente, conversus. Ea ætas opinionum ferax, ea uberrima errorum proventu; per eam linguæ pridem innoxiæ labe aliqua criminis apud posteritatem aspersæ. Sane cum quæ corpora ex aliqua parte spectata analoga dixeris, ea ex pluribus di-

tio habita, eademque recepta fide, qua tempestata nostra Cartesii aut Leibnitii in explicanda natura machinamenta.

Tonitrua Malabarii *nubiloquium* vocant, Iridem Celtæ *pontem*, Indi pervulgato vocabulo *arcum*. Ecquid putamus primum nomenclatorem illud ipsum re intellexisse quod verbo portenditur? Nihil, opinor, magis quam sacer Hebræorum Historicus, apud quem Deus ipse eamdem Iridem *arcum* appellat *suum*; *arcum* videlicet ad rei speciem voce indicandam; *suum* quod eo deinceps ad propulsandum eluvionis metum uti statuisset. At processu temporis Brachmanum aut Druidarum aliquis de re ipsa consultus, et nomine illusus, somniavit clamores hominum aereorum, qui postea in lacrymarum imbrem solverentur, eosque per versicolorem illum pontem metaphora duce traduxit in terras, aut eo arcu cœli tyrannos instruxit quo sese in bellis gerendis mutuo telorum jactu confoderent. Nomen locustis apud Arabas inditum proprie *Dei exercitum* connotat. Est profecto cur locustæ et metaphoræ et Arabici legislatoris vecordiæ gratias referant, qui eas quasi totidem cœlestes milites veneratus religiosa lege necari vetuit, agrosque illis impune depopulandos permisit.

Cur porro non putemus in linguis id egestatis tempore usuvenisse, quod luxu postea grassante accidisse certo scimus? Nimirum iidem Arabes cum ad Medicinam, Metallurgiam, Chemiam animum appulissent, absurdam sane in has artes phraseologiam, phantasia lasciviente invexere, qua sæpe sincera multa atque utilia putidissime infuscata et corrupta. Nam præter cetera, illud iis argutum scitumque visum est si sequiora metalla morborum, ea perpurgandi artem pharmacorum insignirent nominibus, et si scoriam *elephantiasin*, obryzum aurum *valentem vigentemque juvenem* vocitarent. Inauspicata isthæc homonymia minime malis eorum asseclis fucum fecit, qui sibi ab ea propinari passi sunt posse eadem opera, iisdem chemicis preparationibus et metalla in aurum converti, et corporis valetudinem sartam, tectam, nulloque ævo deflorescentem servari.

Neque solum hujusmodi errores antiquam physicam, sed et recentem infecere, præcipue vero ejus historiam, cujus amatoribus solemne est novis corporibus vel ab esternæ conformationis, vel ab alicujus proprietatis similitudine nomen imponere. *Oolitha* et *glossopetras* dixere naturales historici certos quosdam marinos fetus, quod eorum alter ovorum conge-

riem, alter linguam figura referat: factum tamen ambiguitate vocis ut eruditorum vulgus alterum pro piscium ovis, alterum pro maritimorum canum linguis lapidefactis acceperit. Hæc atque alia ejusdem generis incommoda ægre ferenti egregio in hac disciplina viro, probo, ut ipsi videbatur, voto optare subiit, ut verba quæ ad naturales res referuntur ἀδιάφορα plane essent, et ab omni prorsus cum ceteris et ideis et vocabulis nexu disjuncta. Remedium neque adhibitu facile, et ipso mehercule morbo deterius. Illud potius optandum, ut homines neque ad hanc neque ad aliam quamlibet disciplinam nisi purgatis præparatisque rationali philosophia mentibus accederent, quod nisi diligenter præcaverint, nunquam aliqua errorum ansa sit defutura. Ab hoc mentis habitu cum absit vulgus per quam longissime, miremur si multa absurda et ridicula ex eodem fonte in civilem historiam, in populorum origines, in antiquitatem omnem, atque inde in consuetudines ritusque manaverint? Multus facile esse possem in his percensendis, nisi ad ea properaret animus, quæ philosophis ipsis ante præoccupatis quam præsentientibus, maximas nationes, atque adeo humanum genus prope universum, invasere, mentemque turpis-

sima fœdarunt labe, multorum sæculorum lapsu vix eluenda.

Hetrusci et Romani circa vanissimam auspiciorum auguriorumque disciplinam quam sapienter subtiliterque insaniverint nemo est qui nesciat: at quid tandem acuta et solida ingenia in tam putidum errorem induxerit, ut sibi persuaderi sinerent futuros eventus cum avium volatu cantuque conjunctos, non æque cognitum. Ne recedamus a nomine; fortasse per ejus tramitem ad caput rei deveniemus. Ventos antiquitus alites vocitatos facile suadet, opinor, et arcta inter eos affinitas, et volucrum figuræ ventis apud Ægyptios inductæ pro plagarum tempestatumque diversitate, et iis etiamnum apud nos in tabulis appictæ alæ, et naturalis illa ac necessaria primævæ nomenclaturæ ratio, quam satis, ni fallor, superiore oratione firmavimus. Cum porro ventorum observatio et indicandis anni vicibus, et sationi ceterisque rusticis operibus instituendis, et inchoandæ gubernandæque navigationi plurimum conferat, hinc *servare aves*, contemplari, expectare, interrogare, consulere, familiares loquutiones factæ et communi usu sine noxa protritæ. Videtis jam aucta et immutata, ut assolet, lingua, symbolicarum avium impe-

rium in veras ultro translatum, et longius latiusque protensum; videtis aves pro ventis, ut videlicet columbæ pro dodonæis vetulis, quæ earum nomen ab canitie sortitæ fuerant, vaticinii honore donatas; sapientissimos hominum Romani Senatus principes ab vulturio aliquo aut cervo quasi deorum interprete de Republica consilium petere, et Scipiones, Paulos, Sertorios multo magis alituum sententiæ quam suæ bellicæ virtuti confisos, piaculum existimare si se Martis aleæ committerent, quin iis victoriæ sponsoribus uterentur. Pudeat humanæ sortis, reputantes tanti nationibus regnisque stetisse metaphora! pudeat gloriæ cogitantes quantis ineptiarum bullis grandia intumescant!

Ceterum hanc Ornithomantiæ originem certius quam esset optandum confirmat et roborat Astrologia: qua quid absurdius ex una parte? quid ex altera pervulgatius? quis error clariora ingenia corrupit? quis aut latius disseminatus, aut diutius retentus, aut asservatus tenacius, aut minus aliqua veritatis specie inumbratus? Hic tamen supremus sapientiæ apex, hæc certa et maxima ingenii mensura, huic vanissimæ arti nobilissimæ disciplinæ Geometria atque Astronomia inservire non du-

bitarunt; ab ea privata et publica pendere omnia, ab ea homines vel prudentissimi præcipua vitæ officia auspicari, ejus imperio antiquitus nulla terrarum vacabat pars, ejus studio Persæ, Sinenses, Arabes etiamnum vehementissime insaniunt; nos vero emunctæ naris Europæ incolæ, nos quibus e meliore luto ficta præcordia, nos beatissimi germanæ philosophiæ pulli ac nepotuli, qui nobis in præjudicatarum opinionum fastidio tam fastidiose placemus, ex hoc communi et pudendo rationis naufragio vix tandem atque ægerrime nuper emersimus. Operæ pretium est mirificorum horum e cœlo lapsorum sapientum effata atque oracula excipere. Sole taurum ingresso, medicinam ne sumito; ruminat taurus, tu evomes. Scorpione imperitante domum ne ædificato; si faxis, veneficis insectis, non tibi exædificaveris. Sub cancri sidere ortus es? miseret me tui; videbis tua omnia cancrorum ritu retrorsum cedere. Caper natalis horæ præcipua pars? macte fortuna esto: ad honorum fastigium capro præeunte conscendes. Regis alicujus genesi præfuit leo? væ vobis populi ab immani fera vorandi. Libra nascentem aspexit? io io, gestite cives: *jam redit et virgo, redeunt Saturnia regna.* Ridetis, opinor, et merito. Ridiculum enimve-

ro existimare germanas feras si in cœlis essent majorem in fortuitos eventus et in hominum mores habere vim, quam in terris habeant; magis ridendum, si feræ illæ cœlestes nostras hasce non natura sed proprietate tantum aliqua, aut figura referant; at mehercule omnem ridiculi mensuram longe transgreditur estitis se homines qui operosam hanc artis molam multis et perplexis machinis laboriose suffultam non rei sed nominis analogiæ, minime inquisita ejus origine, superstruxerint.

DE

ERRORIBUS
EX TROPICO LOCUTIONIS
GENERE ORTIS

ACROASIS II.

Absurdam nominis analogiam, quæ, ut in proxime habita Acroasi ostendimus, totius Astrologiæ basis est, propius inspectantibus, sese nobis obtulit error alter priori finitimus, multo tamen ipso exitiosior, quem non risu, sed miseratione et dolore prosequi deceat, et in quem non plura et graviora dici possit, quum solo nomine significentur, Idololatria. Huic mentis monstro quid viam straverit et a Philosophis, et a Philologis disquisitum. Ego vero etsi non diffiteor impiam hujusmodi superstitionem ex variis manare fontibus potuisse, immo vero plures in unum confluxisse facile existimo, tamen inter ceteras causas non ultimam statuo præposteram istam, de qua loquimur, verborum interpretationem; cujus tanta vis est ut, vel

ceterarum auxiliis destituta, par ipsa per se huic portento progignendo futura fuerit. Tres sunt præcipui Idololatriæ quasi surculi, quorum primus naturalium corporum cultus, alter hominum, postremus et deterrimus animantium. Facit rei gravitas ut singula paulo accuratius explicanda arbitremur.

Sublime fusum, candidum, immensum aethera
Ulnis terrestrem machinam amplexum suis,

ut cum Euripide loquar, dædalam et frugiferentem tellurem, infinitam marium amplitudinem sæpe in cœlum fluctibus assurgentem, primos fuisse corruptæ humanitatis deos certo constat. Nihil tamen est quod nos cogat existimare, homines bruta hæc atque inanima corpora continuo statim atque ultro divinis honoribus prosequutos; est contra quod suadeat ad hujusmodi delirium non nisi lentissimo gradu descensum. Quemadmodum proclive est homini cui vel tantillum cor sapiat oculos attollenti, et artificiosam hanc mundi machinam circumspectanti, cogitare aliquem tanti operis et gubernatorem et architectum, ita perdifficile atque arduum congruo et apposito vocabulo ejus naturam exprimere. Spiritalium rerum nomina imperfecta sunt atque ambigua, quod necessario ab corporeis rebus trahantur: quan-

to humana quæque vocabula longius abesse par est ab notione Dei, cujus natura multo altius supra spiritus omnes attollitur, quam supra corpora spiritus, eosque tota immensitate infra se positos conspicatur! Extundendum tamen erat aliquid, si minus ejus naturæ consonum, animi saltem usibus accomodatum. Reputemus tantisper, Deum, ut solem, multo facilius reflexim in suis operibus, quam directe in sua inaccessa luce cognosci: meminerimus esse id hominibus proprium ut geminis rebus, quarum ideæ sese reciproce exuscitant eamdem vocem promiscue applicent; sensibilium rerum nomina et primitus inventa et exemplaria intelligibilibus facta; tum facile statuemus nihil magis consentaneum naturæ, quam ut vetusti homines eodem vocabulo et cœlum ipsum et cœli opificem indicarent. Atque id eo proclivius quod actionis loquela multo ante quam linguæ sese exerente, intento in cœlum digito, unico gestu utrique ideæ significandæ dudum assueverant. Id etiamnum Galanis, barbaro Ethiopiæ populo in more positum, qui, cum vocabulum, quod notionem Dei explicet, in nativa lingua nullum suppetat, de divino numine rogati cœlum indigitant: quod si animadvertissent παραδοξόφιλοι quidam e recentibus phi-

losophis, minus fidenter asseruissent, sylvestres quasdam nationes carere Dei notione, quod nomine careant. *Divum*, *dium*, *coelum*, *Jupiter* antiquis Latinis non secus ac Græcis ὐρανὸς nomen erat ambabus ideis commune: et certe apud utramque gentem religionis multo tenacissimam vigebat notio supremi Numinis corporeo cœlo nihil debentis. Dei nomen apud Sinenses si quæras, cœlum est:an idcirco nationem quot sunt vel fuere sapientiæ laude clarissimam ἀθεότητος insimulabimus? Eadem nos ratione ductos, cum homines terram aut maria non sine religionis significatione appellitarent, quid prohibet existimare eos sibi his nominibus colendum proposuisse unum atque eundem deum qui tellurem floribus distingueret, frugibus coronaret, silvis ac montibus circumtegeret, qui freta non transiliendis finibus circumscripta pro lubitu misceret aut poneret, qui ventos tempestatesque modo e custodia emitteret, modo vinclis ineluctabilibus coerceret?

Ergo cum hunc in finem essent festi dies in annos singulos tellure repubescente instituti, cum sacra patrari cepissent aut secus littora, procella ingruente, aut in editis montium jugis ad avertendas tonantis cœli minas,seu po-

tius ad iratum Numen precibus et piaculis exarmandum; cumque inter sacra pii homines optimo animo physica hæc corpora vocibus cultum et obsequium testantibus prosequerentur, paulatim ab eorum nepotibus in dies magis obrutescentibus a vero aberrari ceptum usque eo, ut ad preposteram hanc opinionem tandem devenerint, cœlum, terram, maria, totidem esse numina, re ipsa non secus ac nomine inter se distincta, iisdem consonis corporibus convestita. Per hæc homines vestigia progressos illud maxime argumento est, quod cum postea Græci et Latini, dispertito inter Deos orbe, Jovi ætherem, aerem Junoni, Neptuno maria, Cybelæ terram addixerint, integram tamen semper incorruptamque servarunt ideam primævi illius Numinis, cœli videlicet aut ἐρανȣ̃, qui postea sub Jovis nomine inclaruit, cujus imperium nullis coercitum finibus et in rerum universitatem et in deos ceteros protenderetur. An non hinc aperte colligitur, ætherem, tellurem, Oceanum nihil antiquitus fuisse nisi diversa unius atque ejusdem nomina divinitatis, suam maxime in prægrandibus histis corporibus vim exerentis; et Neptunum, Cybelem, Junonem, reliquos Deos, multo posterius ex filiis fratres factos, hoc est opera opifici

ipsi, nominum fallacia et mentis hallucinatione, exæquata? De Sinensium cœlo quid sentiendum existimemus paulo ante innuimus: vero tamen admodum simile complures postmodo eorum philosophos communione nominis in eam impiam sententiam prolapsos, ut ipsam cœli substantiam haberent pro deo, qui nec volenter nec scienter non secus ac Astrologorum sidera in humanas res dominatur. Certe ea proclivitas qua hac ipsa ætate cultiores populi exteras nationes ex hisce linguæ indiciis idololatriæ aut ἀθεότητος reas peragunt, aperte ostendit et quam facile sit lubrico linguarum tramite incedentibus in præceps abripi, et quid ipsi fuissent sensuri, si eorum lingua ansam istiusmodi erroribus præbuisset. *Coeli timor*, in *coeli nomine*, in *manu coeli* usitatæ sunt apud Hebræos dicendi formæ: quid ii sibi vellent his verbis, nemo est ex nobis qui ambigat: at eos Juvenalis Romani populi interpres hoc nomine in invidiam vocat, quasi physicum cœlum nubesque ipsas religiose colerent, eosque monemur a Strabone ad eamdem ignominiæ notam *Coelicolas* Augusti ætate appellatos.

Sidera in ordinem disposita, lucidis telis instructa, et in sua semper statione manentia a-

liquam cum excubantium militum acie similitudinem exhibent; Luna splendidior et grandior, cœlum obambulans, præfectum aut principem refert: Sol vero per *aetheris solitudinem*, ut Pindarico verbo utar, magnificentissime incedens, ecquid aliud repræsentaverit nisi aliquem Orientis Regem, principum satellitium splendoris luxu obruentem, quo prodeunte sidera sibi ipsa displiceant, sacroque horrore perstricta imperiosam ipsius lucem longissime ex aliquo latibulo conspicentur? Hinc Orientis populi immodico phantasiæ æstu laborantibus Sol cœli Rex, Regina aut domina Luna, sidera, cœlestis militia vulgo appellata. Ex hac translatorum nominum pompa aut ortum aut certe corroboratum astrorum cultum satis indicat hujus perniciosi erroris nomen *Zabismus* a *Zaba* hoc est exercitu apertissime ductum; ad quam superstitionem avertendam verum Hebræorum Numen *Zabaot* sive *exercituum deum* vocari voluisse facile crediderim, deum videlicet excrcituum, non terrestruum, sed sidereorum, cui propterea unice obsequium, et cultus, inanima isthac militita posthabita, deberetur. Neque vero mirandum si figurata isthæc dicendi ratio crassioribus Hebræis imposuit, cum Moses ipse Maimonides, quem Hebræorum Pla-

tonem propemodum dixeris, cælos animam inesse existimarit, quod scilicet sacer Psaltes eos de divini opificis gloria colloquentes poetice induxerit.

Eadem difficultas dei proprio ac distincto vocabulo connotandi, rudiore veterum hominum intelligentia in id conspirante, effecit ut nationes pæpe omnes eum ab dignitate atque imperio magis quam ab attributo aliquo ejus naturæ inhærente denominaverint. Hinc altera Idololatriæ species, hominum cultus. Chaldæorum *Bel*, Syrorum *Baal, Rimmon*, *Moloch*, *Adramelec*; *Adon*, *Es*, *Elion* Phænicum, *Cabar* Arabum, Samothracum *Labiri* inde geniti. Maurorum *Ammon*, AEgyptiorum *Osiris*, *Helios* et *δώμων* Græcorum nihil nisi regem, dominum, patrem, fortem, excelsum, magnificum, potentem, sapientem significant. Nam Hebræorum *Jehova* quod in deum mirifice convenit, quippe quo Ens per se ipsum stans et a quo sunt omnia indicetur, ipso Deo monitore opus habuit: quo quidem cum Hebræi in communi sermone uti piaculum ducerent, Dei nomina in Phænicia lingua parata æqui bonique facere, eaque in sacro ipso codice usurpanda sibi adsciscere non dubitarunt. Cum igitur hæc vocabula non absoluta sint, sed relata, ejusque

generis ut in Deum æque atque in homines cadere possint, ex eo factum ut vulgo vel nomina ab hominibus attollerentur ad deos, vel ab diis ad homines deferrentur, utque ea nominum communio notionis communionem paulatim induxerit.

Scatet vetusta Orientis historia exemplis Regum et principum qui huic assentatoriæ aut inconsultæ homonymiæ ἀποθέωσιν debent: quod certe non contigisset, si antiqui Deum initio statim infinitum potius, aut immensum, æternum, immutabilem, per-se-stantem, carentem-principio, causarum principem, aut quid simile vocitassent, quæ nomina, ut notiones iisdem subjectæ, ita adhærent divino Numini ut communicari cum mortalibus nequaquam possint. Mactabant Romani divinis honoribus Imperatores suos, aliter plerumque mactandos. Tam vecordem putemus populum ut dignos existimaret qui in deorum familiam adsciscerentur bipedes sæpe quadrupedum deterrimo deteriores? Ego vero Quirites non aliter de toto hoc mimo sensisse crediderim, quam Vespasianus, vir humanis honoribus, si minus divinis, dignissimus; qui cum morti proximus a familiari suo de valetudine rogaretur, sese paulatim deum fieri jocose respondit. At cum

Imperatores assentatione grassante deorum nomen essent adepti, deinceps lenocinante nomine credibile est, eos apud imperitam plebeculam aut provinciales servitii consuetudine attonitos, non modo externum cultum, sed et religiosam fidem obtinuisse.

Est cur eodem damnemus crimine alterum dicendi modum pervulgatum admodum atque percelebrem. Inter reciprocos hominum rerumque respectus nullus est neque nomenclatione prior, neque facilior observatu, nec usu frequentior, quam patris cum filio. Exinde receptum, ut e geminis rebus quarum altera alterius naturæ esse particeps, aut ab ea quoquo modo profluere, aut eam affinitate aliqua videretur attingere, pater illa, hæc filius passim audiret. Luculentissimum hujusce consuetudinis exemplum Celtæ suppeditant, apud quorum Bardos *coeli sobolem* dictam pro sole, pro bellatore ***ensis filium***, ***maris progeniem*** aut ***montium*** pro maritimis aut montanis hominibus tertio quoque versu reperias. Eadem Græci loquendi, non intelligendi, ratione ducti, quemadmodum Orientales homines *Aurorae*, indigenas et nobiles *telluris filios*, ita generatim viros sapientia, rebus gestis, virtute præstantes Διογενεῖς, seu Jove ac diis genitos,

hoc est, iis præcipue caros, et eorum peculiari adjutos auxilio, honoris ergo, appellarunt. Hæc dicendi forma deorum nobis extitit seminarium; *hac voce Pollux, et vagus Hercules Innixus arces attigit igneas*, hoc nomine Bacchus, Perseus, Esculapius, AEneas, Romulus Olympica civitate donati; hinc nullum stemma sine diis, nulla sine fabulis historia; hinc tot deorum et Semideorum examina non ab Græcia modo sed ab omni barbaria in cœlum immissa, ut prope iis laboraret atque fatisceret, ac majorum Gentium Dii, si Luciano credimus, non minus quererentur quam Conscripti Romanorum Patres, cum Cæsar suis braccatis et triumphatis Gallis curiam opplesset. Ferendum facile absurdas gentium religiones per hæc absurdiores fieri; at in veram ex eo fonte fluxisse superstitionis aliquid, sane dolendum. Cum enim ab eodem loquutionis genere non abstinerent Hebræi, cumque Moses ipse in divina historia sua Sethi nepotes *Dei filios* religionis gratia appellasset; non defuere qui crederent bonos Genios eo nomine significatos, atque adeo ex profana eorum cum mulieribus copula progressos putarent Gigantes, Gnomosque insuper et Silphos, ceterosque Lemures, qui nocturnam hominum quietem mirificis intemperiis exagitent.

DE

ERRORIBUS
EX TROPICO LOCUTIONIS
GENERE ORTIS

ACROASIS III.

Venio nunc ad Zoosebiam: velare lubet Græco nomine multo fœdissimum cultum, cui qui se manciparunt, næ illi non modo humana ratione, sed humana specie et figura indignissimi. Cum vero reputamus, eos populorum primos hujus turpissimi stuporis dedisse exemplum qui primi sapientes sunt habiti, quid, amabo, de sapientis nomine ac de tota humana sapientia existimandum? Extra omnem dubitationis aleam est positum AEgyptios satis tempestive brutas animantes pro germanis diis habuisse, eos, inquam, AEgyptios, qui Gabinianum militem quod felem imprudenter necasset nullo Romani nominis metu deterriti frustillatim distulerint, et in Pelusii obsidione fame coacti sese invicem vorare sustulerint potius, quam sacras

animantes morsu violarent. Utrum tamen eadem mens fuerit eorum qui primitus religionem instituere, non est nullus dubitationi locus. Quæ quidem quæstio, ita a doctis viris tractata hactenus, ut accuratiorem, ni fallor, inquisitionem desideret, et ab intimis rei visceribus deduci postulet. AEgyptiorum sacerdotes ab Romanis aut Græcis de hujusmodi cultu rogati, aut dicteriis perstricti ad fabulosas confugiebant historias, ita ut religionis absurditas cum explicationum absurditate certaret. Posteriores Philosophi profundissima somniarunt mysteria, et ingeniosius a veritate aberrarunt.

Plutarchum miror hominem ingenii et acumine et soliditate præstantem, cum de arcana Ægyptiorum sapientia præoccupatam opinionem imbibisset, hac specie illectum, veritatem quam jam teneret e manibus elabi passum. Is nimirum statuit quadrupedum aut alituum figuras quædam quasi extisse animata specula cuncta inspirantis ac permeantis dei, qui se in quolibet suorum operum æque spectandum, æque mirabilem præbeat. Magnifica sunt hæc prima fronte et sublimia: utinam itidem et rei et hominibus accommodata. Nam primum ita reputantibus, nulla erat naturæ pars quæ non assi-

milando divino Numini esset idonea, nulla quæ non iis pro religiosa habenda esset. Proinde ut ab sacrarum animantium esu abstinebant AEgyptii, ita erat iis ab lavando, nedum ab findendo navigiis Nilo, ab calcanda tellure, nedum ab ea aratro ferienda abstinendum. Quod si unici dei notionem Religionis auctores volvebant animo, cur eum potius innumeris imaguncnlis quam unica et maxima imagine, naturæ universitate, repræsentarent? An non illud jure pertimescendum, ne pronus in superstitionem populus in totidem particulas unicam divinitatem dispesceret, quot ipsius simulacra publice eidem populo proponebantur? Postremo si a partibus potius quam ab toto, ab animatis quam ab inanimis sumendæ imagines videbantur, quæ dementia erat eas ab sequioribus potius, quam a præcellentibus, ab vilioribus quam a prælustribus, ab dissimillimis quam ab similioribus mutuari? Eosne tam humiliter, tam ignominiose de humana natura sensisse, ut digniores existimarent quibus munus repræsentandi divini Numinis concrederetur, brutarum mutarumque animantium greges, quam sanctius illud animal, altæque mentis capacius, quod imperio potitum in cætera, intelligentia, virtute, ordinis co-

gnitione, veri pulchrique sensu, præ omnibus divinis operibus divinam originem et affinitatem cum deo aliquam præseferret?

Unum est quod a Plutarcho accipio, primitus ab AEgyptiis aliud commonstratum, aliud intellectum: animantium figuras totidem fuisse symbola, symbola tamen non unici et magni dei, sed patriorum deorum, aut potius heroum qui postea in deorum album essent relati. Verum si hac interpretatione contenti non ultra progredimur; si statuimus hujusmodi symbola Pontificum arbitrio instituta, populari intelligentiæ sine lege permissa, neque ulla re alia nisi peculiari certorum hominum nectendarum idearum ratione suffulta, vereor ne AEgyptiorum sacerdotum prudentia magnopere periclitetur. Demus enim sub canis figura Anubin significatum: quis iis tandem sponsor erat populum eodem sensu rem accepturum? qui tanta ab eo speranda sagacitas, consensio tanta, ut prompte certeque eandem analogiam arriperet, quæ in sacerdotum mentibus semideum inter et symbolum intercedebat? Certe tempestate nostra, qua paulo amplius quam apud AEgyptios et doctrinæ lumina in vulgus disseminata, et ingenia experrecta crediderim, neminem puto tam stultum qui in vestibulo aut

in tectis exposito signo speraret decem homines, nedum universum populum, quid ea sibi vellet imagine divinaturos. Magna fuit symbolorum, quæ tum *emblemata* vocabantur, superiore sæculo gratia: tamen in antiquis parietibus symbolicarum imaginum serie convestitis semper aliquem versiculum appictum videas qui vice interpretis fungeretur. Eo itaque magis AEgyptios in intelligendo figurarum sensu caligasse par fuerit, quod cum epistolaribus per ea tempora carerent litteris, nulla alia interpretandi suppeteret ratio nisi ut symbola symbolis, hoc est obscura obscurioribus, explicarentur. An non igitur, si ita res est, videntur vobis AEgyptiorum proceres imperitam multitudinem ultro ac dedita opera in absurdos atque impios errores traxisse? et putemus religionis præsides ratos licere sibi cum gravissimo religionis periculo esse ingeniosis? Solidior itaque basis huic ædificio substruenda, et investigandum quid illud sit, quod AEgyptii sacerdotes, quos excordes certe nemo dixerit, sequuti fuerint, quod symbola communi accommodaret captui, quod crassam populi intelligentiam juvaret et regeret, quod ab instituto ambiguitatis plenissimo aliquo saltem tempore imminentium errorum impetum sustine-

ret. Id, aut ego valde fallor, nisi ab lingua, frustra quæsieris.

Peculiaria singulorum hominum nomina non erant primis temporibus ut apud nos, sensu vacua, sed sua quæque significatione distincta. Nomina puerorum, cum adhuc in familiæ sinu alerentur, neque prompte inventa, neque publicæ consuetudinis nota signata: ubi in societatem producti, tum iis aut antiqua nomina confirmata, aut nova indita, aut superaddita, e quibus plura ab corporis habitu, plurima ab animi, vel ominis gratia, vel indicio aliquo, præsertim explicantibus jam sese moribus affectibusque, deducta. Antiquissimam hanc consuetudinem videre adhuc licet vigentem in populo, et in rusticanis hominibus cognominum maxime prodigis; ac si AEuropæ iterum barbaræ annales revolvere subeat, nullum principem, ducem, virum paulo celebriorem inveneris qui non adjuncto aliquo aut notatus vulgo fuerit aut insignitus. Jam animi affectus atque habitus notiones sunt a rebus abstractæ, generales, ab intellectu magis quam ab sensu pendentes; proindeque nec conceptu faciles, et enunciatu difficillimæ. Cum enim fortitudo, ut hoc utamur exemplo, absolute et physice nihil sit, fortis vero idea nunquam ab idea ho-

minis sejuncta menti objiciatur, fortem porro hominem τὸ καθόλου nuspiam videris, sed hic aut ille seorsim et singillatim fortis appareat, operosa profecto res erat ea mente secernere quæ sunt natura conjuncta, aut absoluto donare nomine, quæ absoluto in natura statu nequaquam gaudent. Patet hinc, qualitatum nomina ab iis substantiis deducta in quibus præcipue spectentur, et *subjecta*, ut scholastice loquar, pro *attributis* antiquissime usurpata. Porro humani animi habitus promtius certiusque in brutis quam in ipsis hominibus cognoscuntur. Homo quippe animal est varium, multiplex, sibi ipsi discors, in affectus vel diversissimas flecti cereum; ut propemodum ex vero ducta videatur antiqua fabula, hominem a Prometheo e desectis singulorum animantium particulis coagmentatum. Contra belluæ, instinctum ducem sequutæ, signato ab natura tramite nusquam decedunt. Semper mellificant apes, semper nidificant aves, semper tenax formica et provida, versuta vulpis, ferox et magnanimus leo, ovis injuriæ patiens, insidiator lupus, felis cauta, vigil canis herique amantissimus: alia in aliis regionibus animantia aliis proprietatibus constanter gaudent. Si igitur hominum nomina ab animi habitibus

plerumque deducta, si habitus in animantibus apparent distinctius, si substantiæ communiter pro inhærentibus modis acceptæ, nihil naturæ magis consonum fieri poterat, quam si homines variorum animalium nominibus distinguerentur.

Multa sunt diversissimarum nationum exempla quæ mirifice opinionem nostram corroborent. Agathelpides, Africæ gens quæ præ ceteris in Austrum vergit, puerorum suorum nomina a bestiis quarum iis consuetudo opportunior, mutuari solent: idem solemne Ostiachis barbaro Scythiæ populo circa Obii fauces degenti; idem et antiquis Hebræis non inusitatum, et recentibus qui in Germania morantur, testante Christophoro Wolfio, familiarissimum; quæ nationes cœlo, moribus, religione prorsus diversæ cum in una hac re sponte convenerint, apparet eas non aliunde quam ab natura hujusmodi nomenclaturam arripuisse. Supersunt et in AEgyptia et in aliis veterum linguis non pauca hujusce consuetudinis expressa vestigia. Menis aut Mnevis apud AEgyptios et bovi et Regi nomen erat, Mendes caprum significat, Anubis canem, Pharao, si Bocharto credimus, crocodilum. Cicreus Salaminiorum princeps anguis nomen ab occiso angue

sortitus est; primus AEthiopum rex, Ludolpho Jobo locupletissimo teste, Arvæus, hoc est nativa lingua serpens est dictus; posteaque ab eo populo, apud quem non minus quam apud AEgyptios vigebat hieroglyphica scribendi ratio, sub serpentis figura publice cultus. Neque vero postulandum ut id in singulis nominibus exacte ostendatur; tum quia vetustæ linguæ maximam partem deperditæ, tum quod vel si adhuc superforent, abessent tamen perquamlongissime a primæva illa, quam semper intellectam volumus, quæque unice infantiæ societatis accommodata. Cum tamen hæc nemenclatio et a natura sponte profluat, et exemplis quibus firmetur non careat, æquum est ut ex linguarum reliquiis de generali earum methodo judicemus. Cæterum si ejusmodi nomina in eos caderent, quorum facta nomini nequaquam consona, ea cum ipsis hominibus oblivioni data; sin contra, tum nomen cum idea, symbolum cum re, insolubili vinculo nectebantur: ut videlicet Astrologorum vaticinia quæ in irritum cadunt nemo memorat; si qua forte eventus consequitur, volitant per ora omnium, et arti existimationem fidemque conciliant.

Hæc ergo symbolicarum figurarum origo,

hæc basis certa; hic primus ad superstitionem gradus, per hanc consuetudinem antiqui errores novis et gravioribus cumulati. Alia nationes aliæ statuere hospitia in quibus animæ a corpore sejunctæ diversarentur. Celtæ nubium aspectibus ludificati, putarunt aereas animas et aereo corpore indutas in aerem attolli, et ex iis rati sunt nobis existere informes illas formas quæ in nubibus sæpe spectentur, quæque vehementiori ventorum flatu evanescant. Rusticani vulgi opinio qui maculas in Lunæ facie spectabiles pro Endymione aliquo solet accipere, facit ut arbitrer apud alias antiquitatis nationes populum, qui sibi semper ubique similis, consimili errore deceptum. Jam a Luna ad sidera facilis atque apertissimus transitus. AEgyptii vero qui metempsychoseos opinionem imbibissent, nihil huic principio magis consentaneum statuere poterant quam si suorum heroum animas sidereis corporibus convestirent. Hinc igitur clarorum virorum manes in astrorum domicilio locati, hinc illi nomina sua ab animantibus sumpta cum astris hospitibus communicarunt. Hæc, opinor, unica ratio explicandi usus mehercule singularis et observatione dignissimi, quem tamen præ inveterata consuetudine nemo propemodum animadvertit. Unde

enim, quæso, factum putemus, ut pleræque gentes cœlestibus corporibus animalium nomina indiderint? Unus atque idem non erat EAgyptiorum et Chaldæorum zodiacus; Græcorum antiquis temporibus ab utroque abludebat: Japonii peculiari zodiaco gaudent ab his omnibus longe diverso, quem in bis duodecim signa, alia diurna, nocturna alia, tribuere solent: hæ tamen nationes miro certe consensu pactæ videntur inter sese ut cœlestes plagas terrenarum bestiarum gregibus sternerent, cum tamen inter sidera et animalia nulla figuræ similitudo, analogia nulla intercedat. Communi effectui communis causa quærenda: causam vero aliam, non dicam probabiliorem ea quam attulimus, sed aliquo probabilitatis colore indutam, divinaverint fortasse alii, ego ne suspicari quidem ullo modo possum. Ecce igitur jam humani animi virtutes cum sideribus, sidereorum corporum excellentiam cum humanis animis communicatam, ex qua communione tertia aliqua præstantior natura extiterit ac divinæ prope finitima: ecce vobis animantes hac duplici societate mirifice nobilitatas, ecce eos symbola factas non incerta illa et vaga, sed linguæ usu et populi consuetudine certis ideis constanter affixa, et ab falsarum interpretatio-

num periculo liberata. Quocirca ad conservandam clarorum factorum memoriam, et ingenerandum multitudini admirationis, aut si iubet cultus, in patrios heroas sensum, AEgyptii vulgaribus litteris defecti illud consultissimum rati, si in templis et in cæteris publicis locis earundem animantium figuras exponerent, quæ solo intuitu ideam et nominis, et ejus habitus unde semideo nomen inditum, excitarent.

Hujus instituti pridem unice opportuni, perdiu innoxii, gravissima incommoda non nisi multo post tempore sentiri cœpta. Primum multitudo aut symbolorum quæ unico homini essent addicta, aut hominum qui unico symbolo donarentur, res nonnihil turbavit et miscuit: tum inventa epistolari scriptione, hieroglyphicæ tum usus tum studium sponte relanguit: historia quam ab symbolicis ad vulgares litteras continuo traductam decuerat, vetustis characteribus consignata multa est offusa caligine, multis popularibus fabulis infercita: symbolorum ut in scriptura, ita et in communi sermone, minor, minorque in dies gratia, immutata lingua et abstractior facta, mentis habitus, animi affectus novis insigniti nominibus, et minus ambiguis et a sensibilibus rebus longissime abductis: verbo,

antiquæ linguæ et consuetudo et cognitio paulatim obliterata ac deleta. Quid tamen? evanescente lingua figuræ supererant; scatebant animalibus templa, fora, viæ, tecta, monumenta iisdem referta, ea in festorum solemniis, in cœremoniis, in sacris primas tenere, bestiarum nomina hærere sideribus, pueri in eas obsequium cum lacte ducere; ita populus consuetudine subjugatus, scientia defectus, primævæ loquelæ immemor, divini aliquid in iis suspicatus est quo divinos honores essent promeritæ; ita brutæ animantes quæ religioso cultu præscriptionis jure gaudebant, directe deinceps quasi propriis gavisæ honoribus, qui ipsis diutissime tanquam vicariis exhiberentur.

Placet opinionem nostram firmare exemplo, ad eam, ni fallor, et explicandam et roborandam aptissimo. Erat Dagon Phæniciorum εἴδωλον ab Assyriorum Oanne parum diversum: colebatur is sub piscis figura, ferebaturque ab AErythræo mari emersus leges artesque Phæniciis dedisse, et quotidie advesperascente die mare patrium repetere solitus, rursus primo diluculo inde emersurus. Hujus prodigiosæ fabulæ si originem quæritis nomen consulite. Nimirum דג *Dag* Phæniciorum lingua piscis est. Fingite jam, quod admodum

probabiliter fingi potest, hominem quempiam aut ceti squamis coopertum, ut videlicet putat Helladius, aut, ut ego putaverim, naufragio actum natatu ad Phæniciorum oras adhuc navigationis expertium appulisse. Si perculsi novo spectaculo natatorem, *hominem piscem*, aut simpliciter *piscem* vocant, is pollens ingenii vi rudem populum legibus coercet, artibus expolit, religione aliqua imbuit; laudatur, suspicitur, ad principatum evehitur. Phænicii post ejus mortem grati animi ergo ad memoriam tam benefici advenæ perpetuandam eum æneum aut marmoreum sub piscis forma publice statuunt, quæ hospitis nomen, maritimum ejus adventum, sensum quo videntes essent affecti per quam commode significaret. Nepotes deinceps ei hac in imagine colendo assuescunt: piscem vident, piscem audiunt; pisci se leges, artes, religionem debere intelligunt. Quid hoc est? physicum piscem tot perpetrasse prodigia? absurdum dictu: ergo piscis hic deus est, dixere Phænicii: ergo pisces dii sunt, ergo dii piscium formam induunt, ergo et cæterorum animantium; ergo animantia pro diis habenda, dixissent AEgyptii. . . . . . .

Habetis satis naturali, ni fallor, methodo explicatam humanarum idearum seriem, seu

potius opinionum atque errorum catenam, qui licet absurdissimi sint, absurdius tamen semper existimare, eos repente sine causa, quasi fungos e tellure sine satione emersisse, mentemque non gradatim delapsam, sed ultro sese furioso saltu in præceps dedisse. Hæc ego pro certis habenda non sum tam stultus qui affirmem, pro vanis tum habuero cum quis vero afferet similiora.

DE
UNIVERSÆ ET PRÆCIPUE GRÆCÆ ELOQUENTIÆ ORIGINIBUS

ACROASIS I.

Qui ejus facultatis aut artis cui se peculiariter addixit intimam naturam atque indolem studet cognoscere, nulla id re melius assequi potest, quam si continuo statim altiorem ipsius originem inquirendam atque investigandam suscipiat. Duplex porro hujusmodi investigatio, quarum alteram philosophicam, criticam alteram appellare fas est. Philosophicam investigationem dicimus quæ principium ab natura insitum unde ars efflorescit in ipso germine explorat, et ex minutissimis ductibus, primigenia ac veluti monogramma ejus artis specie detecta, impeditam primum infantis loquelam et reptantis gressum, tum certiora subolescentis vestigia, adultæ lacertos, fœcundam vim, postremo multiplices opportunitates atque usus,

variasque pro variis causarum in eam incurrentium aut irrepentium effectibus, nativæ ejus formæ aspectus atque habitus certa ratione deprehendit. Critica vero investigatio in eo tota est, ut artis apud cultiores quosque populos celeriorem aut lentiorem explicationem, incrementa, vices, fata, labes, aut laudes sedula indagine persequatur, et celebriorum artificum opera æqua simul et exacta trutina expendat, quo scilicet et certior ac solidior adolescat judicandi vis, et promptior exquisitiorque sentiendi. Utraque investigatio mutuis alterius officiis juvatur atque alitur. Quippe ex perpetua causarum et effectuum collatione, ex reciproco doctrinarum et exemplorum implexu, ea demum exsurgit absoluta et archetypa cujusque facultatis idea, ab qua sublimiora ingeniorum atque artium monumenta emanasse, ut ex Epicuri hæresi simulacra e corporibus evolantia, apposite dixeris.

Hæc itaque mecum animo reputans, et demandatam mihi humanioris litteraturæ provinciam pervagari aggressus, nihil mihi aut consultius, aut et meo muneri, et huic loco, et vestris auribus accommodatius facturus videor, quam si, continenti et severiore artis tractatione privatis exercitationibus reservata, publicis

hisce acroasibus universæ eloquentiæ philosophicam et criticam historiam, si minus pertexendam, quod temporis ratio non patitur, ita tamen mihi perstringendam ac delibandam proponam ut varias audientium classes nec inutiliter, nec injucunde detineam. Habet, opinor, hæc disquisitio quod et Rhetoricæ artis candidatis, quibus præcipue decet consulere, maxime conferat; et amœnioris æque ac solidioris eruditionis amatores alliciat, et sese iis ipsis commendet, quorum aures omnia fastidiunt quæ non expressa philosophiæ vestigia præseferant. Cum enim eloquentia nihil sit aliud nisi inter styli, ut ita dicam, gestus et cordis subsultus, inter eloquutionis colores, et perceptionis phantasmata, inter varias probabilium facies, et assensus in audientibus gradus, postremo inter totius orationis tacticen, et expugnandi atque obluctantis animi vim consona et constans harmonia, apparet nullam esse Rhetoricæ ditionis partem quæ non in aliquam Philosophiæ provinciam incurrat, et cum ea indiscretis finibus gaudeat. Cum porro eloquentiæ natales ab humanæ rationis incunabulis minimum distent, cumque una sit et eloquentiæ ministra, et mentis interpres, lingua; frustra quicquam de linguarum indole, et ver-

borum pretio solidæ frugis expectes ab eo qui non aliquid ex Metaphysicæ fontibus in Rhetoricæ hortulos derivaverit: postremo cum civilis et publicæ rei constitutio, populorum opiniones, leges, mores, consuetudines, res pace belloque gestæ eloquentiæ et materiam præbeant, et ipsam quadantenus formam; fit hinc ut clariora oratoriæ artis facinora in bono collocari lumine nequaquam possint nisi et explicentur antiquitatis annales, et minimæ aliquando maximorum factorum causæ ex recondita eruditionis penu eruantur, et consulatur recentium populorum historia, et omnia quæ ad implexum aliquod oratoriæ actionis argumentum pertinent subjiciantur quasi in tabula audientium oculis, et in memorandis clariorum virorum gestis emineant propriis notis distinctæ ingeniorum atque animorum imagines, et denique accuratum de hominibus rebusque judicium ex moralis et politicæ sapientiæ placitis instituatur. Videtis quam ampla, quam multiplex, quam multis usibus acommoda optimarum notitiarum seges ex proposita disquisitionum ratione sponte proveniat. Adeste igitur animis, auditores optimi, meque ex ea quod in rem sit sollerti studio decerpentem attente ac benevole excipite.

Vestigare eloquentiæ incunabula idem forte videri possit atque effectuum et cupiditatum originem quærere, ac sciscitari ecquando apud aliquam nationem inceperit; idem ac rogare ecquando ea natio sese externis atque internis impulsibus percelli senserit. Verum eloquentiam quæ ab natura est, ab ea quæ arte constat rite secreveris. Ea nimirum singulis hominibus quadantenus communis, tumultuaria, incomposita, ordinis ignara manca plerumque aut redundans, præceps in scopum, ab eoque identidem cœco impetu aberrans, nulla obstetricia ope expectata, continuo erumpit. Altera soboles artis, naturæ vestigiis explorandis ac regendis intentæ, sagax, provida, ordine et norma progrediens, et sui et argumenti potens, in aspectus multiplices flecti cerea, phantasiam, sensus, intelligentiam, hominem universum eodem tempore diversis et aptissimis machinis oppugnare aggressa, lenta principia, lentiora habet incrementa, et ab tempore, observatione, mentis progressu opem, vires, normam expectat. Sane cum eadem ubique gentium natura sit, ecquid aliud præter artis defectum, aut minus accuratam explicationem putemus in causa esse cur eloquentia, cæteræque facultates congeneres apud Sinen-

ses, qui multis ante nationes reliquas sæculis eas coluerint, vagire adhuc propemodum aut balbutire videantur, cum apud alias gentes citato cursu perfectionis metam attigerint? Ejus itaque artificialis eloquentiæ principia nobis quærenda, videndumque per quos ea gradus progressa, unde viribus aucta, qua ratione, qua norma ducta adoleverit. Sed quoniam artis est naturam natura ipsa emendare ac perficere, neque eam ex ulla re alia nisi ex accurato istius examine conflatam constat, si rationalis eloquentiæ originem quærimus, necessario nobis naturalis primum origo et explicatio exploranda.

Duæ sunt apud quasque gentes eloquentiæ formæ, quarum altera soluta ac libera, altera numerorum vinculis adstringi gaudet. Eam prorsam orationem, aut prosam, hanc versam Latini dixere. Utra ex iis prior emerserit, ridiculum fortasse aliquibus videatur quærere, aliter, opinor, re accuratius perspecta, sensuris. Ac primum, si eam eloquentiam dicimus quæ scriptis consignata, aut meditato quæsitis verbis composita, non est sane dubitandum quin ea primitus carminum loquela usa fuerit. Cum enim opus esset multa societati necessaria aut conducibilia posteris tradere, cujusmo-

di religiones, leges, historiæ, ea jure videbatur seligenda orationis forma, quæ et in animos illaberetur facilius, et jucundius exciperetur, et asservaretur tenacius; præsertim cum scribendi arte, aliquanto serius quam par fuerat, inventa, nulla suppeteret posteritatis docendæ ratio, nisi ut res memoratu dignissimæ, memoriæ, ope carminum et promptius et firmius adhærescentium, concrederentur. Et sane non Gallos modo, Germanos, Caledonios, verum et Mexicanos, aliosque silvestres Americæ populos, quorum omnium nulla umquam extiterit litera pedestri sermone conscripta, monumenta sua omnia carminibus complexos constat: ac, ne ab Græcis discedam, Pherecydes Scyrius et Cadmus Milesius, qui primi soluta oratione scripsisse perhibentur, tribus post Homerum sæculis claruere. Verum enim vero multo prius loqui quam scribere, et elaborata dictio incomposita et extemporali posterior. Quocirca cum scriptio omnis ab arte sit, ab natura sermo, cumque numeris adstricta, et exquisitis Poetarum lautitiis condita oratio longissime temporibus nostris ab naturæ ratione abhorreat, facile quis existimaverit solutum et nudum dicendi genus numeroso et ornato anteisse. Mihi vero diligentius rem perpen-

denti illud videtur vero simillimum duas hujusmodi formas primitus inter sese indiscriminatim permixtas, perdiu sub una specie abnormes atque inconditas latitasse; ita tamen ut vetustissimorum hominum eloquentia si eorum mentem spectes, oratoria fuerit, si rem ipsam, prope omnis ad Poetarum linguam accesserit.

Id ut clarius patescat, necessarium puto nativas atque intrinsecas notas, quibus Oratoria ars et Poetica inter se differunt, percensere. Ab necessitate Oratoria, Poetica ab luxu ortum ducit; hinc diversi utrique fines, alteri delectatio, usus alteri. Phantasiam Poetica et sensus constanter alloquitur, Oratoria ex omnibus animi facultatibus oblique cæteras, recta intelligentiam aggreditur: perpetua Poeticæ ministra imitatio, delectationis effectrix certissima; Oratoriæ imitari pars est aliquando officii, non officium ipsum. In ea oblectandi cura audacter se prodit, cum in hac subutilitatis atque adeo necessitatis specie pudenter latitet: hæc vero adhæret, ea veri larvas plerumque sequitur: ingeniosas altera fabulas commiscitur, pro veris ne an pro fictis accipias, dum jucundissimas sentias, plane secura; altera abhorret ab omnibus quæ falsi quid aut ficti suboleant. Postremo Poetica certis et constanti-

bus numeris in aures assidue incurrentibus voluptatis aucupium præsefert, cum Oratoria soluta, varia, inaffectata orationis structura omnem ab se otiosæ diligentiæ suspicionem longissime amoveat. Quocirca cum in humana conditione otio negotium, indigentia luxui antevertat, apparet eloquentum primos multum a Poetarum fine abfuisse, iisque quidvis aliud fuisse propositum quam audientium sensibus blandissime lenocinari. Verumtamen ea primis temporibus esse debuit tum linguæ tum humanæ mentis constitutio, ut qui sibi Oratoris finem proposuisset, is sese nec opinanter Poetam prope absolutum ostenderet. Id recluso tum linguæ, tum mentis statu in bono collocare lumine operæ pretium existimo.

Jam ergo de lingua hodierna exercitatione verba facturus, prædico diserte ac præmoneo, non eam a me linguam intelligi, qua humani generis parentem divinitus præter naturæ ordinem imbutum constat, sed eam quam ab hominibus progressu temporis veræ Religionis oblitis, et peculiari cœlestis gratiæ auxilio defectis, solis imperfectæ ac degeneris naturæ viribus procusam decuit.

Is est constans naturæ ordo, ut in ideis æque atque in verbis prius concreta sint quam ab-

stracta, singularia quam generalia; exposita sensibus, quam intelligentiæ subjecta. Substantiæ, quæ præ cæteris in sensus incurrerent, essentque humanis usibus opportunissimæ, nomen primæ a modo aliquo promptius tum arripiendo tum exprimendo habuere. In summa procudendorum nominum difficultate, qua prima laborabat lingua, similia in rebus accurate observata, discrepantiis tamdiu neglectis quamdiu non aliqua gravior urgeret necessitas. Pecudis nomen si certæ primum animanti adhæserit, eo aliquandiu reliquæ gavisæ omnes, donec opportuna, aut noscia singularum natura sese prodente, distinctis nominibus viderentur donandæ. Quarum rerum aspectibus vehementius homines essent affecti, aut quibus indigerent maxime, eæ attentius usurpari oculis, cognosci cominus, earum modi, partes, proprietates rite secerni, et certis nominibus figi. Hinc primum humani corporis partibus nomina indita, eadem ab humano ad physicorum corporum partes distinctius significandas et translata primitus et hactenus promiscue transferri. Jam si nova aliqua species figura atque habitu ad plures eodem tempore videretur accedere, ea collatis perspectarum nominibus utcumque indicari solita. Ex ea plerumque in-

consulta vocabulorum junctura prima fortasse monstruosorum corporum notio repetenda. Ubi porro re quapiam nova penitus et ab cæteris plane absimili percellerentur, tum homines eam speciem per partes, modos, effectus, adjuncta omnia cæteris explicare aggressi, et graphica actionis loquela sterilem linguam adjuvante, statis vocabulis necessaria licentia abusi, longo inconsultorum verborum et gesticulationum ambitu circumscribere. Multas apud nos anguis nomen ideas complectitur, seu potius comprimit; at in eorum sermone, quasi in tabula, erecta colla, suffectas veneno fauces, trisulcam ac sibilam linguam, flagrantes oculos, rigidam squamis cutem, caudam sinuosis orbibus proserpentem, omnia quoquo pacto delineata atque expressa licebat aspicere. Animi status atque actus neque prompte neque unico et abstracto donati vocabulo. Sed cum ita a natura comparatum sit, ut vividiores animi motus, motus in corpore veheementes atque incompositi subsequantur, multo rudibus illis hominibus erat proclivius affectus animi ab eorum in corpore effectibus indicare, quam effectus omnes in unius abstracti atque ab sensibus remoti vocabuli centrum compingere. Non illi itaque *irasci*, sed *ebullire sanguinem* aut

praecordia ardere dixissent; et quod nos *amare* dicimus, id ii subjecissent oculis circumlocutione aliqua ab sapphica illa parum absimili, qua elegantissima Poetria singula amatorii morbi symptomata diserte explicat, nomen peritis relinquit. Ubi tandem animi status atque actus a prælustri aliquo et sensibili effectu nomen traxere, deinceps eorum nomina corporum statibus et respectibus connotandis passim adhibita, ita promiscue animi corporibus convestiti, inditi corporibus animi. Substantiæ alicujus nomen alteri appositum adjectivi primum nominis vices functum, quippe adjectiva omnia modi sunt ab complexis substantiarum ideis abstracti, quod crassæ intelligentiæ arduum. Ita *homo ventus* aut *homo nix* diu celerem hominem aut candidum designavit. Eadem plane ratione, licet aliquanto serius, inventa adjectiva ea quæ humanos habitus vitiosos aut laudabiles exprimunt. Hostes irruunt; agris vastitatem, tribulibus cædem intentant: accurrit vir animis et viribus præstans; in confertum hostium globum irrumpit, proturbat, cædit, fugat, difflat, et honestis vulneribus coopertus ad suos ovantes gratulantesque regreditur. Habeo jam ea omnia quæ fortis viri notio complectitur. Qui tamen suspicer

tam multiplices ideas unico vocabulo comprehendi posse? Explicanda itaque mihi singula, viri os grande spirans, nobilis in incessu et statu securitas, micantes manus, strati alii ad pedes hostes, aliorum trepida fuga, sanguis, vulnera; tum popularium acclamationes, plausus, coronæ ostendendæ, ut qui non affuit ex simplicium idearum congerie complexam fortis notionem eliciat, et certo convenire homini animadvertat. Quod si cæteros omnes qui similia perpetrarunt facinora communi vocabulo designare est animus, id a rebus jamdiu perspectis et proprio donatis nomine certe petendum. Excitatur itaque, puta, leonis idea, quem conjuratas feras sternentem ac dilaniantem vidisse memini, atque ex ea specie leones appellito omnes qui strenue ingruentes hostes propulsent. Jam si vir aliquis invicto animi et corporis robore constanter inclaruit, nihil magis naturæ consonum quam si proprium ipsius nomen universæ fortium classi significandæ addicatur. Experrectior mens et subtilior facta eo tandem pervenit, ut cogitet singulis fortibus viris inesse vim aliquam qua fortes sint, et archetypum aliquod sibi fingit, ab quo profluant omnia quæ ab strenuis hominibus perpetrari solent, et ad cujus exemplar fortes o-

perpendimus, ex superius explicata dicendi ratione sponte fluxisse deprehendemus. Nam ubi semel Justitia, Fortuna, Mors muliebri specie donatæ, profecto quidquid de iis diceretur, id ita necessario explicandum, quasi eæ humanis animis, sensibus, affectibus, vocibus præditæ hominum ritu cuncta peragerent. Hinc Morti falx, Astreæ lances et gladius, Fortunæ rota, Amori arcus sponte obvenere: et ex iis confectas imagines, quibus Poetæ lasciviunt, communes antiquitus esse par fuerat dicendi modos, ad abstractos mentis conceptus explicandos cogente linguæ infantia usurpatos. Qui vero hominem alienis bonis profligato pudore inhiantem *Lupum*, innoxium contra et patientem injuriæ *Agnum* vocitasset, is mehercule si generalem aliquam de utriusque natura sententiam proferre vellet in Apologum, ducentibus vocabulis, prolabebatur. Fac enim id ei fuisse propositum ut diceret, improbum hominem atque impotentem humilioris bonitate persæpe abuti, eumque fictis causis opprimere. Cum in ea sententia multa sint generalia atque abstracta quæ aut minus intelligantur aut certe minus feriant, cumque ex recepta linguæ consuetudine, lupus et agnus duo sint quasi cardines, quibus tota sententia vestitur,

ad eam evolvendam et subjiciendam audientium sensibus, necessario extundendum aliquid quod ab Phædri narratione parum abluderet. Quod si Herculis nomen fortibus quibusque viris addictum credimus, ut facile, opinor, credendum, jam omnia quæ de fortibus viris dicentur Herculi accident, et ex historia fabula exsurget, præsertim singulis factis tralatitiorum verborum serie explicatis. *Fortis vir nullum detrectat periculum, et virtute ac patientia sese aerumniis omnibus majorem praebet*: facilis nostris temporibus pronunciatu atque intellectu sententia: at in ea singula prope verba ideis sane pluribus fœta, quæ nisi sensui explicentur rudi naturæ filio loqui lapides videare. Ut ergo quæ inclusa latitent reseres, jam tibi eligi in cunis angues, aper Marathonius, Nemæeus leo, septiceps hydra, cætera Herculis facinora, quorum alia aliis fortasse debita, vera alia, alia ex opinione conficta, adducenda in medium, ut sententia ex factis aliqua ratione eluceat, et accommodato eorum temporum ingeniis loquutionis genere commonstretur. Ita quidquid deinceps luxus fuit, id primum erat inopiæ; quod postea in deliciis habitum, rusticitati primitus tribuendum.

Quid jactis ab lingua fundamentis mens superstruxerit, sequenti schola aperietur.

DE

UNIVERSÆ ET PRÆCIPUE GRÆCÆ ELOQUENTIÆ

ORIGINIBUS

ACROASIS II.

Vetustorum hominum sermonem ex ipsius linguæ natura atque explicatione ad poeticum sponte accessisse, superiore acroasi ostendimus: referenda nunc mentis adyta, ejusque status saturnia ætate aperiendus, ut appareat nullam extitisse orationis partem, quæ non necessario poeticis coloribus esset infecta.

Ea est humanæ mentis in causis investigandis ratio, ut se similitudinis vestigiis ducendam permittat, ut ab nota re aliqua de ignotis judicet, ut hominem et ea quibus constat cæterarum rerum omnium normam et exemplar constituat. Multa mortalium oculis obversabantur animis percellendis aptissima, multa prægrandia ac mirifica, quibus ipsi efficiendis nequaquam pares. Cœlum tonitru contremiscere, fulgetris intermicare, versicolore arcu

pingi, debacchari intemperiis venti, freta undarum moles attollere, quassari tellus, montium juga intestinis ignibus fumigare, *flammarumque globos, liquefactaque volvere saxa*. Cedente periculi metu excitari curiositas. Ecquam tandem causam horum prodigiorum effectricem suspicarentur! Sine ut cogitarent inanimam naturam cæca vi præditam, præfinitæ æternæ Mentis obsequentem ordini, vices suas aut certas, aut certa lege inconstantes constantissime peragentem; ipsa vero suprema atque unica Mens, a materia secreta omni, temporis, finium, mensuræ nescia, quæ naturales res non exsolvenda causarum et effectuum catena obstrinxerit, universæ hujusce machinæ gubernatrix, motrix, effectrix, deus non admodum intellectu facilis hominibus, qui originis labe ab nativa dignitate desciverint, et primævæ religionis nefarie obliti, sibique merito relicti, vitiorum stupore obbrutuerint. Nihil igitur iis proclivius, neque crassæ ipsorum intelligentiæ accommodatius, quam si singula hujusmodi prodigia ignotis quibusdam Entibus referrent accepta, quæ vi quidem et facultate præstarent hominibus, natura tamen et forma quam minimum ab humana abhorrerent. Hinc multiplices induti dii, hinc singulis certæ partes

datæ, officia certa. Trisulco Jupiter armatus fulmine, tonitru quasi curru cœlum obambulans; Neptunus tridente instructus, alites venti AEolo in custodiam dati, Juno tempestatum regina, ignipotens Vulcanus, intima telluris viscera, et regna caligine obsita Plutoni cessere. Cum porro hujusmodi numina ad hominum prorsus exemplar essent efficta, cumque ea ætate hominum dignitas omnis et præcellentia unice ab corporis robore æstimaretur, virtutis et sapientiæ notionibus nondum excusis, seu potius ferinæ vitæ assuetudine obliteratis, minime sane mirandum, si commentitios hos deos humanis vitiis obnoscios, humanis affectibus turbari crederent, eos amare, irasci, bella inter se gerere, alterum in alterius ditionem irrumpere, hominum aliis favere, abhorrere ab aliis, in terras animi causa sæpe delabi, sacrificiis, nidore allectos, jucunde interesse, irritari, ultionem expetere, nec nisi hominum sanguine sæpe placari. Hæ vero deorum iræ, terrores, turbæ, quibus universam rerum naturam habent infestam, ab aliqua certe peculiari causa profectæ. Ergo pro se quisque proque ingenii indole atque habitu hariolari passim, facta somniare, et multiplices deorum historias extundere, præconceptis de eorum na-

tura notionibus consonas; idque eo securius ac liberius, quod iis minime pertimescendum, ne quis eos falsi crimine argueret.

Prælustribus naturæ phænomenis hujusmodi ratione explicatis, proclive erat eandem methodum ad singulorum effectuum causas investigandas explicandasque adhibere. Tum ebullire passim Demonum ac Semideorum examina: aquæ, montes, valles, nemora suis quæque donari Geniis qui vim suam in ipsis exererent. Unde tandem fons ille emicans, qui *labitur et labetur in omne volubilis aevum*? Ludicrum istuc otiosæ Najadis quæ aquulæ ab urna effundendæ perpetim vacat. Vere novo. quid ita prata et nemora repubescunt? Chloris floreis redimitur corollis, quo se amatori Zephiro genitabiles eo tempore auras afflanti comptiorem præbeat. Stillat aliqua guttis arbor? Dryadis sunt lacrymæ amoris impotentia obortæ, corticem quo Nimpha obnubitur, perrumpentes.

Jactatis temere per noctem vicibus, alternam vocem e longinqua specu remissam audio. Unde ea nisi ab notorum aliquo qui vociferant; aut serio respondeat, aut jocabundus illudat? Accurro, quærito; nuspiam est. Quid censeam, nisi eam vocem esse ab invisibili Genio

speluncæ præside atque incola memet de suo Numine, debitoque sibi cultu obscure monente? Hinc primum fortasse antris ac specubus, adjuvantibus tenebris religiosus horror accessit. Simulacrum suum qui primus limpharum in speculo conspicatus, non est sane dubitandum quin alterum sese conspicari hominem existimaverit, et Narcisso Ovidiano similis inclamarit: *Quisquis es huc exi; quid me, puer abdite, fallis? Quove petitus abis?* Atque adeo porrectis non semel brachiis frustra appetitam imaginem disjicientibus, sese in latices fortasse immiserit, fluviatilem illum hominem in undarum latibulis quæsiturus.

Esse hanc communem hominibus ea tempestate philosophandi rationem ex eo certissime evincitur, quod Celtæ, Americi, Sinenses, nihil sibi invicem debentes populi, ad hujusmodi rerum aspectus interpretandos fabulas excogitaverint Græcis quas modo attulimus per quam simillimas. Tempestates Caledonii non aliunde excitatas rati quam a præpollentibus formis iis, quasi anseres æstiva pluvia exultantibus, eas tonitribus ululare, inequitare ventis, μετέωροις armari, vestiri nubibus. Echo, quæ Græcis mythologis montivaga virgo, amore enecta, cui nihil præter vocem est reliquum,

iidem Caledonii haud absimili sensu *rupis filiam*, hoc est habitatricem, appellitant. Imbrem silvestres quidam Americæ populi inde opinantur existere quod nubicola puella in aere cum fratre colludens hydriam aqua plenam sibi ab eo lapidis jactu confringi siverit. Reciproci maris æstus miri, ut nostris, ita Sinensibus videbantur. Quid hoc sit? Multis ultro citroque jactis, sophorum intervenit aliquis, et rem e tripode proloquutus. Nymphæ cuipiam, cujus nomen ei certe, ut mihi, non excidit, centeni fuere filii, ex quibus quinquaginta montium juga, alii maris oras incolerent: hinc ortæ gentes duæ continenti bello certantes. Ubi monticolæ a maritimis pulsi, tum undæ æstuantes accedere, recedere contra cum hi profligati ac disjecti patrias oras trepidi repetunt.

Eadem ratione hominum, ut naturæ, historia fabulis promiscue infercita. Præstanti forma adolescens gurgite mergitur, quæsitum corpus nuspiam apparet. Nymphas in eo latitare flumine jamdiu constat: quid ni eum amore captæ ad se traxerint? Excellit viribus vir, ignotis parentibus genitus. Amant, ut homines, dii, et homines ipsos figura referunt. Occidit aliquando: profecto, si divino semine cretus, ad deos conscendet, et eorum mensis accumbet.

At cum inter homines versatus humanam vixerit vitam, humanas ex alto itidem curabit res, et amicis, propinquis, civibus potenter aderit. Verum non semidei modo, sed homines singuli funeri et rogo supersunt : amicus aut affinis mihi hesterna nocte per somnum visus : at qua tandem fit, ut sese mihi ipsissimum spectandum præbeat dum ejus corpus humi putrescit? Qua fit ut cum oculos aspectu feriat, cum vocibus tum exaudiendis tum reddendis sit aptus, sese tamen attrectari nequaquam sinat, et aeris ritu appetentis manum frustretur? Illud profecto necesse arguere, ab crassiore corporis compage tenuissimas atque aereas particulas sponte avolasse, quæ tumuli expertes evanidam hanc atque umbraticam formam conflaverint. Quidquid id sit, fato functi, alicubi degunt, aliunde remeant. Hinc boni in Elysios missi, improbi Tartaro addicti, corporeis titillandi deliciis aut pœnis plectendi, iis tamen quæ aeream atque umbraticam eorum naturam decerent.

Multa in animantibus video non modo humanorum affectuum, sed et humanæ intelligentiæ vestigia ; multa etiam in aliquibus sollertia sollertissimorum hominum industria præstantior. Nihil in iis præter humanam formam et

vocem desideres. Cur me a vero aberrasse existimem, si eas homines crediderim, aut etiam minorum gentium deos crimine aliquo divinæ naturæ privilegiis exutos, et ab diis potentioribus ferino corpore quasi carcere inclusos? Excogitandæ igitur causæ quæ nobilissimas naturas eo miseriarum atque humilitatis deduxerint: ita confictæ animantium, ut antea deorum, historiæ.

Is percipiendi habitus, ea in deorum sobolem propagandam proclivitas, ea promptissima assignandarum causarum ratio eo paulatim deduxit homines, ut crederent virtutes ipsas ac vitia, cæterosque habitus totidem esse deos in humanis animis insidentes, qui singulos voluntatis actus impellerent, et a quibus affectuum fluctus excitarentur. Id eo receptum lubentius, quod et bona nostra eo pacto magnificari atque augeri, homine prope ipso in deum converso, et vitia elevari posse viderentur, crimine in ineluctabilem deorum vim humanis abutentem animis derivato. Hinc sæpe apud antiquos Poetas amantes clamare audias hærere sibi in visceribus invictum deum, aut se geminis divinis viribus in animo obluctantibus distrahi ac proscindi.

Quoniam vero natura universa, corpora,

mentes ab diis animari aut inhabitari promiscue solita, unde potius quam ab diis ipsis dicantur esse visa illa et somnia quæ sese sopitis objiciunt? Oculi certe atque aures externis aspectibus aut sonis nequaquam pervii, animus præpeditis sensibus nullo suorum munerum fungitur. Vis igitur aliqua humana potior efficit ut otiosis oculis conspicer, auribus obseratis exaudiam. Deus deus aliquis eas mihi species sopito exhibet, vitæ monendæ ac regendæ idoneas, et ad sollertiam acuendam sæpe obscuriores. Ominosa ergo, improvisa, fortuita omnia diis itidem monitoribus tribuenda. Eo pacto fabulæ ab causarum ignoratione in immensum auctæ, et a poetico mentis habitu, lingua mentis interpres plane poetica evasit.

Alter poetici sermonis fons superiore nihilo secior, affectus. Ea est propria et constans affectuum indoles, ut qui sese iis urgendum ac proturbandum permiserit eum novis oculis, novis auribus, novis sensibus, novis animis propemodum instruant. Longe alia sedato homini et affectibus percito natura ostenditur. Quippe phantasia iis exæstuans, quasi picto aliquo vitro, singulas res nativis coloribus exuit, inficit suis, auget inconsulte aut imminuit; miris informat, deformat, transformat modis, et quemadmo-

dum in figuris cylindrico speculo subjectis non-numquam usuvenit, ex incomposita atque abnormi i earum congerie speciosum aliquod monstrum effingit. Amat aliquis? Non ea quam deperit formosa mulier, sed forma ipsa; mammam Venus dedit, aluere in hortulis Gratiæ; in rosas genæ, in sidera mutari oculi; ejus aspectu, bruta atque inanima omnia in amorem rapi; ei arridere tellus, gestire flores tam venustis pedibus pressi, deliniri feræ, saxa ipsa attactu mitescere. Eum ut hominem credam, quem oderim, qui injuria immerentem affecerit? *Caucasus* eum *cautibus genuit, Hyrcanae tigres admorunt ubera*; monstrum est collatis fœdissimarum bestiarum particulis coagmentatum. Jam terror prodigiorum pater atque artifex præsentissimus. Quin fugiam, quin exhorrescam? Centimanus aliquis e Terrigenarum genere imminet. Equo insidet? Centaurum puto. Ignivomum tubum intentat? Jovem horreo fulmina sua coruscantem. Bello ingruente larvarum acies in nubibus pugnare visa, nubes ipsæ rorare sanguine. Navim non gurges hausit, Scyllam Scyllam ex edita specula vidi ipse hiantem, et *inguina latrantibus monstris succinctam*. Turbo freta contorquet? Typhon, is est

Igne simul ventisque rubens, quem Jupiter alte
Crine tenet, trepidant diro sub lumine puppes.

Ita in affecti hominis sermone nihil proprium, nihil simplex, tota oratio hyperbolis, translationibus, phantasmatis, prodigiis, fabulis constat.

Quocirca cum affectus eo in hominum animis impotentius exerceant imperium quo minus experrecta ratio, et sentiendi vis incastigatæ naturæ permissa grassatur liberius, fieri profecto non poterat quin rudes ac silvestres homines qui toti propemodum sensu constarent, communi sermone usi, figurato, hoc est poetico orationis genere abuterentur.

Ea pariter affectuum vis, ut per eos vox ad cantum accedat. Id etiam videmus promiscue fieri in hominibus aut gestiente lætitia ebriis, aut mœrore impotenti ejulantibus. Attolli nimirum vox aut deprimi, vibrari, aut crispari flexionibus plane novis, ita ut ratione aliqua existimari, et notari possint. Ex eo fit ut fortuitus numerosorum pedum concursus in aures incurrat facilius, et rudem aliquam tum rhythmi tum metri notionem exsuscitet. Atque id eo promptius in Græcorum lingua obtigisse decuit, quod ea musica admodum et canora sit, cum non in adstricta modo, sed in soluta oratione syllabæ statis quæque et distinctis temporibus gaudeant, et quod caput est earum

singulæ aut acuto attollantur accentu, aut deprimantur gravi, aut circumflexa voce ab uno ad alterum celeritate non imitabili transvolent. Quæ quidem pronuntiatio perplexis regulis et molestis obnoxia, cum tot sæculorum spatio in populi ore versata fuerit, apparet profecto non esse istuc artis inventum, sed peculiare aliquid ipsi Græcorum voci ab natura insitum, ita ut minime dubium sit, quin si Græci veteres reviviscerent, et nobiscum nativo accentu sermonem gererent, eorum declamatio nostris auribus musicam melodiam referret, aut saltem proportionalis aliqua media inter nostrorum sermonem et cantum, prosam inter et carmina videretur.

Quid ex his quæ hactenus a nobis exposita ad explicandam eloquentiæ originem ejusque gressus explorandos liceat arguere, proxima schola explanabimus.

DE
UNIVERSÆ ET PRÆCIPUE GRÆCÆ ELOQUENTIÆ ORIGINIBUS

ACROASIS III.

Accurate, opinor, præteritis exercitationibus tum linguæ tum mentis statum primæva ætate asseruimus, illudque, ni fallor, evictum dedimus, utriusque naturam atque indolem ad fabulosam, hoc est poeticam vetustorum hominum sermocinationem conflandam, et pertexendam coisse.

Jam ad nostram de poetica priscorum hominum lingua disputationem absolvendam juvat in ea alteram externam quidem, genuinam tamen atque insitam poeticæ loquelæ notam animadvertere, quæ ab syntaxeos natura petitur. Quod ut in bono lumine collocem, video mihi altius repetendam rem, eamque omnem a sublimioris Grammaticæ, hoc est a Metaphysicæ fontibus derivandam. Quælibet humani animi cogitationes, sive eæ ad externas res, sive ad

ipsum animum spectent, constant simplicium complexarumque idearum serie, quæ sese invicem certa aliqua ratione respiciunt, certo regiminis aut ministerii funguntur munere, certis affinitatis gradibus sese attingunt, certo demum atque individuo nexu junguntur. Eam idearum seriem analyticum ordinem apposite dixeris: per eum disgregatæ orationis partes in unum colligi, et articulis prope constringi, ab eo scientia et cognitio pendere omnis, is constans ac necessaria linguarum basis, ejus ope notionum sensorumque inter homines commercia peragi. Duplici porro ratione effici potest, ut animus in reciprocis colloquiis intrinsecum hujusmodi ordinem, idearum quasi οἰκονόμον, et copulatorem arripiat, eoque duce in colloquentis sensus aut mentem pervadat. Altera est ut vocabula in oratione eodem locentur ordine quem ideæ, magis in se ipsis quam in loquentis mente spectatæ, obtinent, quemque ex accurata singularum idearum, earumque reciprocorum aspectuum analysi exsilire videas; altera, ut voces rebus, ac tum earum, tum animi statibus connotandis addictæ, certis donentur flexionum atque terminationum modis intrinsecos idearum respectus accurate indicantibus; tum ut voces ipsæ in orationis textu-

ra non ex Metaphysicæ, sed ex eloquentiæ principiis artificiosa securitate implicentur, ita ut animus flexionum veluti nictibus admonitus, in easque erectus, exercitationis delectatione levem laborem pensante, implexum Orationis quasi glomerem evolvat atque explicet. Hinc prima et generalis linguarum divisio, ut earum aliæ *analogae* sint, aliæ *metatheticae* aut transpositoriæ. Quarum syntaxis analytico adhæret ordini, eas linguas analogas dixeris, metatheticas contra quæ sese in vocabulorum implicatione sensui magis quam intelligentiæ regendas permittunt. Græca, Latina, et e recentibus Germanica, in posteriorum; Hebraica, Itala, Gallica, in priorum album referendæ.

Uter utri præstaret ordini Græcis et Latinis cæterarum nationum linguas aut ignorantibus, aut despicientibus numquam sane succurrit quærere: recentiores ex Philologis bene multi, omissa examinis cura, metatheticæ syntaxi primas dedere, quod scilicet piaculum ducerent, non pro certo et explorato habere quidquid in quaque re perfectissimum id ab Græcis et Latinis continuo arreptum. Contra Gallorum plerique litem sibi suo calculo felicissime adjudicarunt, minime veriti syntaxin suam, ut et

naturæ et rationi magis consonam, Græcorum et Latinorum syntaxi fidenter præponere. Ita perdiu in hujusmodi questione præjudiciis magis quam judiciis certatum. At vero Philosophiæ fax, quæ recenti admodum ætate humanioribus illuxit litteris, rem omnem in meliore collocavit lumine, effecitque ut syntaxeos usus et pretium non ex partium studio et consuetudine, sed ex ratione æstimaretur.

Tria sunt in idearum, unde cogitationes conflantur, examine diligenter observanda tempora: unum cum in animo aut ab externarum specierum incursu, aut ab earum vestigiis menti adhærentibus excitantur; alterum ubi animus in ideas ipsas inquirendum sibi statuit, ac de iis quodammodo censum peragit; tertium denique cum earum seriem sermonis ope cæterorum intelligentiæ proponit atque explicat. Multa in singulis tum ordinis tum effectus diversitas.

Nam ubi externarum rerum impulsus ideas exsuscitat, eæ plerumque non singillatim et distincte illabuntur in animum; sed confertim, incomposite, et tumultuario impetu irrumpunt, neque certorum et intrinsecorum erga se ipsas, sed incertorum diversorumque erga humanos animos respectuum ordinem servant:

fit inter eas concursus, quasique pugna; adhærere aliæ, aliæ præterlabi, evolvi nonnullæ et explicari, nonnullæ comprimi, quædam eminere, quædam ab eminentibus ita obrui, ut pro nullis habeas: tum amoris, aut aversationis sensus: abhorres aut appetis quin te abhorrere ant appetere satis pervideas: ita ex multiplici idearum numero quæ ad animi statum oratione explicandum communiter usurpari solent, ea tantum distincte quæ cæterarum fons et principium inobscuratis cæteris menti observatur. Anguem conspicor: *attollentem iras, et caerula colla tumentem* horreo, memet in fugam proripio: non tum ego id cogito memet esse qui horream non alium, horroris sensum potius habeo quam ideam (aliud quippe est sentire, aliud quod sentias animadvertere); fugio instinctu impellente, non fugæ idea prius objecta et proposita; ipsa horroris et fugæ causa non satis distincte se explicat; morsus, venenum, mors latitant omnia sub idea anguis, quæ mentem unice pervadit omnem, et spiris quodammodo circumplectitur. Quocirca si tum per terrorem liceret quod sentio verbis exprimere, aut unica vox *anguis* ex ore erumperet, aut si essem paulo fusior, semper anguis nomen præiret omnibus per-

sonæ et actionis nominibus quæ in sententiæ analysi primas tenent, constanter posthabitis. Eadem plane methodus et in vehementibus et in lenioribus animi motibus, et in cogitatis et in sensis constanter obtinet. Licet enim ubi volumus, respuimus, appetimus, aut quacumque alia ratione agimus, actus ipsius principium ab intrinseca animi vi motum habeat, tamen cum hujusmodi actus non nisi ab rerum aspectibus aut eorum recordatione excitetur; animus sese ipso suisque actibus prope neglectis in id unice a quo jungitur, tendit, et in eo totus est; et quoniam non semper res ipsæ, interdum earum pars, aliqua proprietas, modus, adjunctum, vehementius animum percutit, ea semper idea quæ potior vi, prior ordine longissime antevolat, cæteræ, licet natura fortasse principes, subsequuntur.

At vero ubi mens secum habitans et affectu vacua idearum suarum genesin earumque tum gradus, tum nexus sibi examinandos proponit, continuo perspicit substantiam modorum ita esse basin, ut hi extra eam neque existere neque intelligi possint; perspicit causam semper effectui anteire; perspicit demum cum ex duabus substantiis agit hæc, illa patitur, actionem quodammodo geminis illis substantiis in-

ter jacere, et ab altera egressam ad alteram progredi: ita si mens ab se ipsa de suis notionibus, et necessario earum vinculo rationem exigit, necesse est ut eæ analytico dispositæ ordine ipsi sistantur quo ipsa; et punctum ab quo digressæ, et id in quod tendunt, et quam insistunt viam, et occultas ansulas quibus invicem sese attrahunt distincte cognoscat.

Ex iis quæ diximus facile apparere arbitror uter ordo in verborum reciprocatione naturæ propior, uter homines rationi proludentes, et in ipsa loquelæ arte propemodum hospites magis decuerit. Sane cum oratio ex analogæ syntaxeos ordine constructa ac disposita distinctius illabatur in animum, et singulas ipsius partes exactius, et commodius tum dispiciendas tum colligandas exhibeat, illud minus acutis hominibus vero videatur simillimum, hujusmodi orationem tam facile colloquentium labris quam audientium auribus occurrisse, ejusque coagmentatricem syntaxin ab natura humanis usibus consulente continuo arreptam. At longe aliter philosophi senserint, qui norint quidquid ab arte sit, longissimis spatiis ab natura abesse, et rudia ipsius tentamina adultorum jam affectuum, non infantis intelligentiæ notas præferre. Enimvero vetustissimos ho-

minum et metaphysicis idearum nexibus, non dicam pervidendis, sed suspicandis perdiu impares esse decuit; et vel si hujusmodi nexus sese iis ultro obtulissent, eorum tamen in colloquendo servare ordinem per exultantium et incompositorum affectuum turbas non facile, opinor, licuerit. Quippe animus iis exæstuans, eorum impulsibus, et diverso momento quo singulas res excitata cupiditas pendit, propere obsequitur. Inclament licet dialectici ad ravim usque causam effecto priorem, actione agentem, totum parte, attributo substantiam: turbata et convulsa mens minime opportunos idearum respectus secura negligit, in ea idea qua valentius icta defigitur, eam observat, ei principem assignat locum, et verba sensuum nuncia instinctu propemodum ducta eo sponte se locant gradu qui non sedatæ rationis legibus, sed affectæ mentis usibus accommodetur. Hoc ita verum est, ut eæ linguæ quæ aut opportunarum flexionum carentia, aut recepta consuetudine analoga syntaxi utuntur, ab ea, ubi affectus exprimendus aliquis, quoad earum natura patitur, longe recedant. Pueros sane qui primitus non nisi interiore adigente stimulo in voces erumpunt, quæ tandem cumque iis vernacula lingua sit, metathetica semper syn-

taxi uti videas, eosque Italice æque ac Latine *pomum velle se*, non *sese velle pomum* clamantes exaudias; quemadmodum per id tempus quo aut vocum ignoratione, aut organorum imbecillitate sensa gesticulationibus exprimunt, index appetentiæ gestus, in appetitam rem, non in personam appetentem, intenditur.

Analogam ergo syntaxim tum solummodo naturalem et potiorem dixeris, cum continua idearum series ab sedata intelligentia profecta sedatæ itidem alterius menti explicanda. Jam vero linguæ necessitas ex affectu magis quam ex ratione sentiri cœpta, ex quo fit ut vetustiorem linguam expressioribus par fuerit in syntaxeos ordine affectuum, unde genitæ, quam rationis notis distinctam.

Quocirca ut eo jam me conferam, quod mihi ad commonstrandum proposui, cum transpositia Orationis textura ita sit Poetarum propria, ut ei omnes, vel nativa lingua obnitente quoad licet libentissime adhæreant, apparet profecto vetustorum hominum loquelam hac etiam ex parte poetico indutam habitu, poeticum plane os extulisse.

DE

UNIVERSÆ ET PRÆCIPUE GRÆCÆ ELOQUENTIÆ ORIGINIBUS

ACROASIS IV.

Linguæ inopiam, mentis crassitiem, affectuum turbas tres potissimos in superioribus esse statuimus poetici sermonis fontes. Cum igitur vetustissimi Græcorum atque adeo mortalium, et maximis linguæ angustiis laborarent, et summa causarum ignoratione mentisque infantia premerentur, et æstuarent affectibus, nemini dubium esse possit, quin omnis eorum sermocinatio poetica prorsus extiterit; ita ut qui per ea tempora diserte diceret non magis posteriorum temporum oratorem referret, quam saltator aliquis ambulantem. Juvat hoc indicatis Oratorum officiis raptim ostendere.

In narrando et probando, quæ duo Oratoris munera (mitto tertium *permovere*, quippe etiamnum affectuum tractatio prope poetica), longe dispar eorum temporum disertis et po-

sterioribus ratio. Illud narranti aut docenti propositum ut ideas principes a ministris, ut ita dicam, secernat, ut earum explicet alias, alias oblique innuat, phantasiæ nonnullas exhibeat, plerasque intelligentiæ proponat; ut demum in audientium animis rei potius universæ quam singularum partium imaginem excitet. At ubi complexa vocabula, quæ idearum compendia apposite dixeris, aut nulla sunt aut perpauca, immorandum peræque in singulis, evolvenda, describenda, circumscribenda, pingenda omnia, ut quemadmodum in tabula figuris obruta nihil distincte videas, et dicentis mentem ægre assequare. Præterea sermo excursionibus vagus, adjunctis otiosissimis pergravis, et importune dramaticus. Neque enim supervacanea ab necessariis secernere, et aliorum sensa sua rite facere ineruditæ menti proclive. Jam ratiocinatio ea esse debuit, quæ rationi quam minimum satisfaceret. Sane qui tandem eviceris aut concluseris aliquid, nisi particularum ope quæ sunt idearum copulæ et orationis articuli? Particulæ vero et originis et nomenclaturæ ordine postremæ omnium, quippe quæ fœtus mentis idearum comparationi, et metaphysicis earum nexibus observandis dudum assuetæ. Omnis igitur eorum oratio arena sine calce,

scopæ solutæ. Argumenta vero ab intrinseca rerum natura, a principiis, a causis petita, τεκμήρια, inductio, generales et abstractæ, quæ nunc ratiocinationum basis, et singularium norma esse solent, ea aut ignota menti, aut linguæ explicatu nequaquam commoda. Rite ergo omnia phantasiæ data: similitudo, exemplum, omen, parœmia, fabula, apologus; en argumentatio, en ἀπόδειξις. Ea porro tripartita generum divisio, qua jubentur oratores humilia proprie, ornate media, grandia magnifice dicere, nulla profecto esse poterat in paupere et democratico linguæ statu, vocabulorum censu nondum peracto, et iis in certas classes atque ordines nequaquam tributis. Licet igitur, opinor, statuere Oratorum primos præter finem, nihil omnino habuisse quod Oratorem a Poeta rite secerneret.

Verum et illud ex iis quæ hactenus dicta patere existimo, quod ab ipso nostrarum disputationum initio ab nobis propositum, duas nimirum eloquentiæ species abnormes atque indigestas jacuisse primitus, ita ut quemadmodum in Ovidiano chao, *nulli sua forma maneret*. Sane vetustorum hominum oratio neque proprie Poesis dicenda, cum iis imitari et delectare, qui Poeticæ finis, nequaquam proposi-

tum, nec vero mehercule Oratoria, cum ab civili et composita eloquentia plane abhorreret. Est hic operæ pretium animadvertere, illud necessario ex hoc monstruoso ac biformi dicendi genere consequutum, ut eo homines duplici ac diversa ratione, pro rerum explicandarum natura, earumque cum audientis aut loquentis animo respectibus, afficerentur. Nam si alterutrius vita, res, fama in graviore versaretur discrimine, si quid implexum involutumque enarrandum, si roganda venia, eluendum crimen, aperiendum in re ancipiti et scopulosa consilium, receptæ orationis incommoda facile in cujusque oculos incurrebant. Frequens verborum defectus, omnigenæ ellipses, creberrima hyperbata, tautologiæ, perissologiæ, pleonasmi, illud efficere, ut ratio aut hiulca, luxata, manca, aut redundans, atque superfluens, tarditate aut impetu impingens, incomposita, salebrosa, implexa plerumque, a proposito sibi scopo aberraret. Jam affectus in narrationis seriem sine more modoque irrumpentes, quantas dedisse turbas existimandum, et quam sæpe intelligentiæ officium interturbasse? Apologi ac fabulæ ad abstractas sententias explicandas adhibitæ, nomina hominum quæ interdum pro histori-

cis, identidem pro poetice metaphysicis essent sumenda, verum ab ficto internosci non nisi ægerrime patiebantur. Illa vero continentium descriptionum series, ea simplicium idearum examina, quæ complexarum et generalium vocum carentia audientium animis explicarentur, principem ideam intermediarum et auxiliarium multitudine prorsus obruere, ita ut audientium mens unde digressa, quo duceretur, quo tenderet, plane nesciret, eoque afficeretur sensu quo vir aliquis quem in patriam properantem et itineri intentum dux viarum non peritissimus per longas ambages et labyrinthum inextricabilem circumageret. Facile igitur existimaverim veterum eloquentum orationem id sæpe audientibus tædium creasse, quod nobili claroque inter nostros viro Eteoclis ille apud Euripidem disertus armiger,

Qui se Jocastae Rhetorem quo ostenderet
Descripsit obsidentium Thebas Ducum
Signa, arma, currus, maximam malam
  crucem,
Matri ut referret, filios fratres duos
Telis ruentes mutuis concurrere,
Et post ducenta plus minusve carmina
Dirimat duellum dixit, accurrat cito.
Accurrit illa: at filios stratos videt
Loquacitate mortuos Jambica.

Quod si hujusmodi oratio ubi de pergravi et majoris momenti negotio ageretur, sese nec dicenti commodam, et audienti molestam præbebat, eam contra otiosos homines aut exultabundos otiose inter se colloquentes delectatione non mediocri decebat perfundere. Quippe ea ipsa incompositarum idearum turba, ea vividarum pictarumque imaginum multitudo phantasiam omnem circumplexa, tumultuarium quidem sed jucundum excitabat sensum, cujusmodi in ebriis hominibus excitari solet, quorum animám multimodæ imagines, vel exolutæ, vel miris modis implexæ intercursant; aut, ut nobiliore comparatione utar, cujusmodi sensus hominem permeat, qui solutis curis obambulans amplissimam naturæ scenam suas omnigenas opes incomposita ac sublimi prodigentia ostentantis irrequietis luminibus pervagatur. Duplex hujusmodi sensus, si vetusti homines promptiore ratiocinandi facultate fuissent instructi, jubar aliquod esse poterat, quo duplicem orationis formam, alteram delectationis artificem, alteram communibus aptiorem usibus, intervidерent. Verùm id ab iis licet ingenii sagacitate nequaquam perspectum, sensu tamen et instinctu arreptum credi par est, ita ut et in communi sermone in id qua licebat operam

omnem intenderent, quo distinctior fieret oratio, et ubi delectationis aucupio vacarent, laxatis habenis omnibus, eos ipsos conquirerent dicendi modos qui phantasiæ jucundissime abblandirentur. Quocirca Poetarum lingua jamdiu parata, et poeticis hominum mentibus apparet omnia Poeseos germina sponte evoluta, usque eo, ut hominum observationem, et artem jam jam erumpentem ad sese allicerent. Contra vero ut oratio expedite ac decenter communibus vitæ usibus inserviret, locupletanda mirifice, ac propemodum instauranda lingua, quæ cum ætatis, opportunarum περιστάσεων et subactarum exercitatione mentium sit opera, oratorium dicendi genus lentissime ad oppositam formam accessisse decuit, iisque perdiu vitiis fuisse infectum quæ in adolescente Poetica virtutum loco haberentur.

Illud vero videtur simile, Græcorum sermonem usque ad Phœniciorum, AEgyptiorumque colonorum adventum in hoc infantiæ statu reptasse. Coloniarum duces ab iis egressi regionibus, in quibus tum mens tum lingua majore cultu, majoribus copiis polleret, necessariis ad vitam artibus in Græciam invectis, sermonem quoque ipsum non aspernanda complexarum vocum multitudine auxere, quæ scilicet et

promptiora Græcorum ingenia, et ampliorem linguam efficerent. Quod si ii hac ex parte nonnihil de oratoria loquela promeriti, poetica ex altera dicendi forma ab isdem mirifice exagerata et protenta. Cum enim nativa novorum hospitum lingua hieroglyphicis adhuc et symbolis satis superque abundaret, cumque ea apud ipsos vigeret philosophandi ratio quæ phantasiæ quam veritati accommodatior, propriis historiis et doctrinis prave aut compositis, aut expositis, aut intellectis prodigia et fabulas in immensum auxere, et Græcorum ingenia eo jam morbo laborantia gratissimo contagio infecerunt. Quocirca cum Poeticæ scintillæ, linguæ passim ac mentibus essent inspersæ, face ab vividiore aliquo ingenio paratæ materiæ subjecta, musæus ignis exarsit, et vel in festorum solemniis, vel inter convivia et exultantes tripudiis choros Poesis, ut e Jovis capite armata Pallas, impetu exiliit, carminumque loquela arrepta, adjecto etiam ad fides cantu, hiantis, et plaudentis populi sensus jucundissime pertentavit. Homines qui sic dicerent ἔνθεοι visi, et Deorum soboles habiti. Tum Orpheus lenisse tigres, et sequaces quercus movisse dictus; tum Amphionis cantu ad Thebarum arcem coagmentandam subsilientes in numerum lapides

coiere. Longe tamen a vero abluserit si cui splendida illa quæ de hujusmodi vatibus feruntur prodigia ita fucum fecerint, ut putet Poetarum primos perfectam artis formam in suis operibus expressisse. Ego vero, ne dum eos perfectionis metam attigisse existimem, facile crediderim eorum Poemata, sublimia prope deliramenta extitisse, pleraque in iis inconsulta atque abnormia, atque adeo ab hisce Apollinis filiis sæpius metri leges violatas quam a puerulis nostris, qui imminente pædagogi ferula supputandis syllabis vacant. Verum ita natura comparatum est ut informia novæ artis tentamina rudes animos in sui admirationem validius pertrahant, quam absoluti ejusdem fœtus cultissima ingenia, ubi pulchritudinis sensus exquisitarum rerum satietate prope occalluerit.

Cæterum hoc omisso, tum primum extare et pervideri duplex dicendi genus Poeticum atque Oratorium. Alterum religioni, historiæ, admirationi, delectactioni præcipue addictum, ad certiorem aliquam normam paulatim dirigi. Arrepta ab altero libentissime Orationis compendia, complexæ voces, verba notionibus gravia, quibus explicandis antea molestissimo verborum impedimento opus esset: ita Orato-

ria forma a Poetica aliquanto simpliciore habitu, et soluto incessu distincta. Cum tamen lingua ea ratione copiam esset aliquam et flexilitatem adepta, credibile est ipsam solutam orationem expeditiorem fluxisse nec plane numeri nesciam; non eam quidem fluvio similem qui æquali et continenti sono latiore expatietur alveo, sed fonti inæquali murmure per scrupos et salebras crebris subsultibus delabenti. Civile igitur dicendi genus, nantibus haud ita multis in vasto poeticarum loquutionum gurgite philosophicis vocibus, in disertorum ore versatum existimaverim, non admodum ab illo abhorrens quod tempestate nostra usurpari assolet ab silvestribus Americæ populis, quos constat in concionibus suis uti orationis genere figuris et coloribus multo audaciore, quam aliquis ex nostris Poeta in lyrico sibi carmine licere crederet. Hanc solutæ Eloquentiæ formam apud Græcos ab Colonorum adventu usque ad belli Trojani tempora obtinuisse facile suadet et magna hieroglyphicorum, symbolorum, ænigmatum apud coævas nationes gratia, et apologorum antiquitas, et fabulæ, prodigia, monstra, quorum proventu ea tempora feracissima. Eæ nimirum ætati Minotauros, Chimæras, Medusas, Sphinges ac-

ceptas referas; per istuc temporis spatium Hercules tricipitem Cerberum vinclis obstringit, Perseus equo pennipede vectus animata atque inanima lapide induit, tergeminæ Geryoni animæ, ignem tauri e naribus afflant, dentes occisi a Cadmo anguis in hominum segetem subolescunt, tum Argo navis obloquitur, tum Achilles a matre Thètide Stygiis aquis, ut candens calybs, immergitur, tum mactati Solis boves veruque ad ignem versati Ulyssi et sociis dira et terrifica minitantur: quæ omnia sive abstractos mentis conceptus phantastica loquutione necessario expressos, seu veras historias prodigiorum intermixtione corruptas existimaveris, poeticam semper tum linguæ tum mentis indolem apertissime ostendunt. Lentis itaque gradibus adolescente ratione, edolatis ingeniis, phantasiæ æstu paululum defervescente, lingua sensim et auctior et castigatior in dies fieri, et propriæ Oratorum eloquentiæ accommodatam verborum copiam præbere.

Hactenus Oratoriæ apud Græcos artis incunabula prope ipsa exploravimus, deinceps ejusdem infantiæ adesse, et cum ejus, ut ita dicam, crepundiis juvabit colludere.

DE
ELOQUENTIÆ OPERA
IN SOCIETATIBUS
INSTITUENDIS.

Religionum institutores poeticæ eloquentiæ laudibus carere minime potuisse, explorata religionis indole, ejusque apud profanos populos reclusis fontibus, in oratione ante habita planum fecimus: nunc illud superest commonstrandum ejusmodi facundiam non minore cum laude tum societati constituendæ, tum imbuendis morum disciplina animis strenue vacasse. Est illud humano ingenio penitus insitum, ut quæ homines ab vetustissima temporum memoria constanter in more posita fama perceperint, ea perpetuo ubique gentium obtinuisse facile existiment; neque ea ab humano consilio lente profecta, sed humanitati congenita, ipsius naturæ impetu se se effudisse arbitrentur. Id in iis præcipue usuvenit quæ adultæ jam, ac defæcatæ intelligentiæ se se tantopere commendant, ut id ea videantur esse na-

turæ hominis, quod menti ratio, nec magis sine iis humanitas videatur posse consistere, quam sine ratione mens ipsa. Inter hujusmodi instituta longissime cæteris anteit socialis congregatio, et propinquitas, quam si tollas, idem plane sit, ac si exsoluta elementorum compage, aspectabilis hæc rerum universitas in primævam illam discordiam, et antelucanas tenebras relabatur. Itaque vix quemquam reperias, qui sibi persuadeat extare aliquem in terris locum, cujus incolæ aliquo tempore societatem, legesque ignoraverint, ac si quando apud veteres historicos, aut in recentium peregrinatorum scriptis testatum perlegant esse homines in dissitis plagis, qui temere, nullo fœdere, nullo certo officio devincti, exleges, sine cultu, ac moribus in diem victitent, commenta ea facile existimant hominum otio, et lectorum fide abutentium; aut certe ejusmodi bipedes, sicubi existant, continuo censent ex hominum albo expungendos, nec aliud eos esse rentur, quam incondita naturæ tentamina, quæ genuinis hominibus effingendis rudis adhuc seseque experta proluserit. Verum enimvero sive ex divino consilio profanæ gentes, quæ a primæva religione desciverant, insita etiam ratione sensim defectæ, ut de Assyrio rege in sacris

litteris testatum legimus, sese ab homine in feras demiserint, sive ex vehementiore aliquo elementorum conflictu vastata cum incolis regione omni, infantes per silvescentem terræ solitudinem temere abjecti, processu temporis agrestem, ac brutam sobolem propagarint, extitisse antiquitus gentes incultas et exlegis vitæ licentia feris quam hominibus propiores, Caraibi, Canadienses, Kamskadali, Hottentoti, Lappones hac ipsa ætate minimum ab hjusmodi statu distantes facile ostenderint: ac si ab eo recedimus populo quem sibi Deus peculiariter regendum, erudiendumque secreverat, paucosque alios primævæ originis tenaciores excipimus, non alia fuisse videtur vel cultissimarum gentium infantia, ut nihil plane sit cur fidem Græcis historicis cætera ventosissimis hominum, eam suæ nationis ignominiam ultro testantibus, denegemus.

Equidem non sum nescius socialis fœderis necessitatem ex evolutæ intelligentiæ principiis sponte profluere, sed neque illud me latet, intelligentiam ipsam aliquanto lentius explicari, atque evolvi, quam humanarum rerum utilitas postularet. Vagire nimirum ratio, ac balbutire perdiu antea quam proloqui, reptare prius quam incedere; congruo pabulo quo ado-

lescat, roboreturque indigere. In morali disciplina non minus quam in physica experimentorum pericula dogmaticæ institutioni antevertant necesse est. Neque enim eadem in socialibus axiomatis atque in Geometricis evidentia. *Totum sua parte esse majus* vel Geometris tacentibus sensus commonent: at vero societatis conciliatricem politicam scientiam inclamantem audias cum Hesiodo: Νήπιοι, ὀ γαρ ισασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ πάντος *Stulti dimidium dubitant maius qui credere toto.* Præterea societatis principia, aut ejus umbraticam, et fugitivam imaginem ab solida societatis compage rite secreveris. Libentissime quidem assentior apud quamlibet silvestres homines aliquod continuo statim natura ipsa impellente societatis compendium extitisse in familia, quam primam philautiæ propaginem merito dixeris, philautiæ, inquam, circa cujus veluti centrum affectus plane omnes totidem concentricis orbibus circumaguntur. Verum minutus hic orbis, ac prope evanidus ab capacissimo illo quem patriam dicimus longissimis spatiis interjacentibus distinetur. Consimili ratione nihil obstat, quin voluptas, indigentia, grati animi sensus aliquot hic illic homines propiores factos blandissime inter se conciliarit, grataque utilium,

aut jucundorum officiorum communicatione devinxerit: at vero ad solidum corpus ex multimodis membris conflandum, ad aptam et consonam fabricam ex tot discrepantibus ac dissonis machinis compingendam, ad socialem ordinem ex immenso colluctantium voluntatum, et consiliorum chao evolvendum, multum mehercule temporis, multum experientiæ opus fuerat, multum postremo eloquentiæ, cujus opera caligantibus eorum hominum ingeniis hujusce status necessitas affulgeret. Licebat, opinor, civitate constituta Virgilianum carmen paululum inflexum portis affigere: *Tantae molis erat socialem condere gentem.* Laboriosum mehercule opus, atque arduum, agrestes, et stolidæ ferocitatis homines eo adducere, ut communis patrimonii gauderent particulà, quibus in universum jus fuerat; ut infinitæ licentiæ libertatem servitio similem præoptarent; ut qui pridem unum totumque esset, aliquod pateretur se se amplissimi numeri fractionem fieri; ut non sibi deinceps singuli, sed omnibus viverent; ut communi arbitrio vellent non suo; ut inter socialem hominem et naturalem distracti, e genuinis viribus valentiorem, atque inhærentem sponte comprimerent, remissiori, atque extrinsecæ obse-

querentur. Graviter ergo exagitanda ferina vita, et hominum natura indignissima, voluptas amoris nescia, solitudo, orbitas: corporis sordes, animi stupor, effrenatæ licentiæ damna explicanda, parata infirmioribus vis, insidiæ fortioribus, cunctis pericula, ex singularium libertatum conflictu, et reciprocis nisibus libertatem ipsam discerpi, nomen relinqui; ab civili statu pluribus hominem corporibus, pluribus animis instrui: extollenda pacis commoda, fraterna æqualitas, certa, ac tuta bonorum possessio, dulcissima domesticæ caritatis nomina sæpe inculcanda, exsuscitanda meliorum cupiditas, indigitanda artium examina jam jam erumpentia, silvæ in urbes verti promptæ, domibus mutari specus, inumbranda justitiæ species, districtum malis gladium, coronas probis ostentans; efficiendum denique, ut singuli quasi æstro perciti, leges, connubia, civitatem, patriam exultabundi inclamarent.

Neque minor eloquentiæ industria in hominum animis aliqua morum disciplina imbuendis. Bene mehercule cum humanis rebus ageretur si fuisset societatis origo virtuti debita: at vero, nisi me mea fallit opinio, præpostero sane ordine virtus magis ex societate orta, quam ex virtute societas. Enimvero si homines intrin-

seco justitiæ ac virtutis impulsu congregatos liceret credere, multo inde absolutior emersisset socialis machina, compactior, stabilior: pro se quisque optima fide in alienis commodis promovendis certantes, suam sibi felicitatem elaborassent, patuisset re ipsa nihil esse virtute utilius, adoluissent felicius in omnium animis æqui, atque honesti germina uberrimo socialium bonorum proventu lætificata, suboluisset denique aurea Poetarum ætas, extitissetque perfecta illa Philosophantium Respublica, cujus aliquando umbram quasi beatissimo somnio ludificati complectimur. Verum enimvero malo societatis fato, humanitatis, et benevolentiæ principium, licet sua vi minime careat, non ita tamen præsens, atque efficax, ut eo impulsi homines specioso infinitæ libertatis privilegio nuncium remitterent: pulchritudinis, ordinis decoris notio abstractior longe, ac sublimior, quam ut ea ab crassis, et corpori obnoxiis mentibus conciperetur; nec æqui, justique sensus satis distincte ante leges conditas evolvi promptus; et divinum illud effatum *quod tibi nolis factum, ne alteri faxis*, obstrepente philautiæ cupidine, experientia intelligi, quam animo præsentiri facilius. Videtur itaque non diffitendum, incolumitatis curam id mortalibus fuisse

calcar quo adacti se se inassuetis obstringi vinculis paterentur. Quocirca cum singuli, non communis boni, sed privatæ utilitatis specie sibi proposita in unum coissent, fieri nullo modo poterat quin illud innatum et modestum εἴδωλον, quo primum impellente convenerant, vel societate jam condita ipsorum animis obversaretur, atque ubi patriæ sublimis notio ex novo sociali statu consurgens primævam utilitatis speciem imaginis granditate inumbraret ac premeret, is humilis philautiæ sensus in intima hominis delapsus adyta, vehementior eo quo contractior, se se cordis arce quasi inexpugnabili propugnaculo septum defenderet, aut inde aliquando speciosa larva obtectus egrediens illuderet hebetiorum oculis, et sub alienis nominibus triumpharet. Profecto cum tuendæ incolumitatis necessitas sociali jugo cervices indociles subjecisset, illud necessario videtur consequi id minimum ab quoque de jure, libertate, cupiditate remissum, sine quo appetita incolumitas nulla ratione consisteret: imperantis auctoritatem, prima illa ætate, communis singularium auctoritatum quasi patrimonii delibationem censendam, maximam ipsius vim ex minimarum particularum summa conflatam: quidquid supererat putasse singulos suo plane arbitrio reli-

ctum, et sibi pro lubidine uti, aut abuti jus fasque esse, dummodo ab iis unde præsentissimum coalescenti Reipublicæ instaret exitium, suæ ipsi utilitatis, seu potius salutis gratia, abstinerent.

Est illud ab Jasone Thessalo non inscite dictum, opus esse aliquando imperanti in parvis et privatis rebus violare jus, ut se in magnis et publicis justum ostendat: ego vero contra sociales homines adhuc a feritate recentes existimaverim ita secum tacitos statuisse, servandum jus in majoribus, ut in minoribus injuste agere quandoque liceat. Illud plerisque ea tempestate propositum, ut socialem securitatem cum privatæ autonomiæ commodis copularent; ut propriorum tenaces qua datum aliena corraderent; optare quisque prudenter, ut socialia vincula omnes obstringerent, se uno excepto; vix quisquam ex iis esse, qui cum conceptis verbis jurasset futurum se se rigidissimum communis utilitatis satellitem, sibique aliena jura fore sanctissima, non mentem eodem tempore injuratam gereret, secumque volutaret animo si quo pacto posset rerum summa impune potiri, omnemque in sese socialium bonorum cumulum derivare. Nimirum in minime gratuita naturalium bonorum cessione inſi-

nito juri non infinitæ cupidini vale dictum: insidere ergo hominum cordibus rubigo ea, quæ subolescentem civilem felicitatem in germine ipso corrumperet. Mature itaque ab æqui, rectique semita vix bene delineata deflecti cœptum. Imperantes auctoritate abuti, multitudo habenis irasci, excitari in potentioribus ambitio, invidia in humilibus, grassari avaritia, æqualitas evanescere, male morigeræ cupiditates ignis compressi ritu violentius irrumpere, ubi impetu parum proficerent, fraude certatum, insidiis pro armis belligerari, vulpina pellis leoninæ assui; vi aut dolo peccasse impune laus maxima. Nihilo tamen secius utcumque perstare civitas, præpollente publica vi, et naturalis anarchiæ metu impendente, prope ut mundi machina licet cœli intemperiis, et violentis quassata motibus sibi constat. Verum mundanæ fabricæ incolumitas sapientissimo ac divino opifici commendata; nihilque ab eo non provisum, nihil non præfinitum existere: at in humana societate erat illud merito pertimescendum ne feralis cometes aliquis extra ordinem raptus politici orbis compagem labefactatam disrumperet, aut ne centripeta vis aliquando debilitata, atque evanida, conglobatis centrifugis nisibus raptaretur. Hujus

modi ruinis sarciendis excubare leges, statis pœnis earum vestigia sequentibus. Imbecillum sane præsidium, lippiens custodia, acerbior quam salubrior medela. Vindicari ab iis facinora, non occupari; plecti crimina, negligi vitia, quæ criminum fontes uberrimi; excindi vitiatus surculus, infectis radicibus, unde novorum scelerum silva succrescat. At nisi Herculea utamur industria, quid, attinet Hydræ capita excindere, cæde ipsa in nostram perniciem fœcunda? Præterea vulgatum illud Scythici philosophi dictum leges araneorum telis esse consimiles, quæ insectis quidem sint pedicæ, alitibus ludibrium ferantur. Quærendum igitur præsentius remedium quod ad ipsum malorum caput ascenderet, et in intima pervadens viscera veneno educto pravos habitus quasi vitiatos humores corrigeret, atque instauraret. Id vero nulla ab re alia expectandum, quam a morali disciplina, quæ aptæ facundiæ ministerio mollissime in animos illaberetur. Inserenda igitur mentibus ejusmodi doctrinæ semina ex quibus modestia, abstinentia, civilis caritas effloresceret, fovendus humanitatis sensus, reprimenda philautiæ impotentia, aut etiam in sociales usus vertenda: prædicendum singulis absolutam felicitatem nequaquam mortalibus

datam, quæ pars cuique sortito obtigit, eam in recto socialium officiorum usu esse positam, bona et mala in qualibet conditione æquis momentis pensari, proinde nihil esse cur quis in sua sorte sibi displicens alienæ inhiet: monendi principes id legitimam esse tyrannidem potiri animis, eam non vi, non potentia, sed benefactis parabilem; inculcandum civibus jure plecti, quam impune peccare, iis ipsis qui plectantur utilius; ditiores docendi opes ni recte utari oneri esse, atque invidiæ, pauperes naturam parvo contentam, quidquid ultra sit, vanam pompam sæpe noxiam, semper inutilem: commonstrandum præcipue vitiorum impotentiam ab ipso, quem appetant, vitioso scopo aberrare: potentiores superbiæ impulsu eo gravius ab honorum culmine in præceps datos, infinitam ambitionem infinitum esse servitium, avaritia nihil pauperius, voluptatem intemperantia corrumpi, fraudem sese ipsam suis laqueis venari, invidiam sua ipsam opera perpeti equuleo distentam: contra quod, in vitiis frustra quærites felicitatem, eam ultro ab virtutibus porrigi: liberalitate opulentius, conducibilius justitia, modestia potentius, honorificentius comitate, sublimius continentia, beneficentia divinius; postremo ex rectefactorum con-

scientia animum liquidissimæ jucunditatis sensu multo suavius, quam ullis voluptatum illecebris pertentari.

Non expectatis, opinor, dum diserti eorum temporum sophi hæc quæ a nobis indicata raptim exquisitis ratiocinationibus communirent, quæ neque hominum ingeniis, neque vero aut rei, aut tempori congruæ. Hæc ergo omnia phantasia interprete admota sensibus, facta, exempla coacervata, comparatio, apologus, prodigia, vera, ficta, fabula, historia in rem tracta, excitata præcipue sublimia illa gloriæ, atque ignominiæ phantasmata, indigitata posteritas, hiantis, ac plaudentis specie; videre sibi visi homines famam in justorum laudes centena solventem ora, centenas tubas inflantem, cum improbi, ac perditi non modo vivi, ac videntes acerbissimis diris devoti, solitudine atque orbitate tabescerent, sed mortuorum etiam nomina in sempiternam infamiam superessent: postremo opportunissime evocata atque usurpata religio, monstratusque de cœlo Jupiter, cujus oculis corda pelluceant, non modo malefacta sed cogitata ipsa, et consilia, si minus in vita, certe post funera, eo acerbius quo serius, vindicaturus. Hujusmodi ratione, paulatim appositæ eloquentiæ ope purior emersit virtu-

tis notio, quæque pridem peculiaris tantummodo utilitatis gratia colebatur, proprio deinceps refulsit lumine, et per se ipsam visa expetenda, atque adeo, quod ab frigidis philosophorum disputationibus frustra sperandum, sacrum aliquod, ac divinum ειδωλον facta, in cujus obsequium, et cultum nobiliores animæ aliquando non modo pedibus utilitatem subjicere, sed vitam ipsam, cui tuendæ primitus instituta societas, ad ejus aram projicere non dubitarunt.

DE

ELOQUENTIÆ OPERA
IN RELIGIONIBUS
INSTITUENDIS.

Cum a fabulosis temporibus nostra exordiatur oratio, et in eo argumento versetur, in quo non veris ac certis, sed verosimilibus aucupandis vacandum sit, lubet hodierna exercitatione præfari aliquid quod subsequentibus facem præluceat, nosque in ejusmodi aucupio, non ingenii licentia abreptos, sed probabili ratione ductos, ostendat.

Jam ergo, ut ad rem aggrediar, non ego cum Platone optimo, jocante opinor aut dormitante, illud dixerim, heroas plane omnes disertissimos fuisse hominum, ab τȣ ειρειν, hoc est dicendi peritia, nomen sortitos (quod quidem etymon et ab Grammaticæ et ab sanæ rationis legibus peræque discrepat), neque Minoa illum Creticum ab Jove, Sophista maximo, Oratoria arte institutum, nec Plutonem (quis putasset?) suaviloqua orationis vi mortuos ita

delinire atque illicere, ut quasi Ulyssis socii apud Lotophagos, reditus ad vitam ac superos obliviscantur. Gaudeat sane per nos, licet, mellita hujusmodi suavitate Cresolius optimæ fidei Philologus, qui in sua Sophisticæ artis historia has magni viri repuerascentis ineptias, legentibus propinare minime dubitat. Nos vero, omissis nugis, illud fidenti animo statuere videmur posse, ubicumque memorari inaudias silvestrem aliquem populum ab quoquam mortalium aut imbutum religione, aut socialibus adstrictum vinculis, aut munitum legibus, aut moribus artibusque expolitum, pro comperto exploratoque esse habendum, qui hæc perpetraverit, eum summa dicendi facultate, loco, tempori, coævis hominibus accommoda, præcelluisse. Nihil enim est ex iis omnibus, quod sine eloquentiæ ministerio, non dicam perfici, sed ne satis quidem commode tentari possit. Digna profecto res, in qua accuratius commonstranda immoremur.

Religio (quo vocabulo omnem de supremo qualicunque numine opinionem intellectam volumus) orationem prope μετέωρον, et humana majorem plane suo jure sibi vindicat. Eam ergo potissimum usurpatam decuit prisca illa ætate, cum primum aliqua religionis notio insculpen-

da ferreis illis silvestrium hominum mentibus, qui pabulo intenti, et stolida ferocitate exultantes, ne se ipsos quidem, nedum sublimius aliquid, noscerent, nec quicquam supra cibum atque hominem suspicarentur. Nemo, opinor, existimaverit profanos eorum stipitum Theologos divinitatis ideam repetisse vel a motu, non sponte brutæ materiæ congenito, sed ab libera et spiritali causa extrinsecus indito; vel a mirifica radiantium orbium vastitate qua non enarrando consilio ætherearum regionum spatia late interspersa; vel ab innumeris creatarum specierum ordinibus, qui quasi in scansiles distincti gradus, et proximum quique indiscreto limite tum mole tum perfectione excedentes, inter duplicem, inde tenuitatis, hinc magnitudinis infinitatem locantur; vel ab arctissima causarum et effectuum catena per principem annulum e divino suspensum digito physica et humana omnia circumplectente; vel ab exquisita plantarum aut animantium structura, vel ab dædalea aspectabilis hujusce universitatis compage, tam multis ac perplexis intexta machinis, tam arcto colligatis vinculo, tam mirifica finium ac mediorum harmonia inter se concinentibus, divinam artem, divinum opificem clamitante; vel demum ab fluxa et pre-

caria humanarum rerum natura, quæ proinde idonea cur existerent causa, ab Causæ illius principis necessitate ac perennitate quærenda: ex quibus omnibus sponte affulsisset pura illa ac defæcata notio supremi Numinis, unici, simplicis, a materiæ labe secreti, cunctipotentis, sapientis, conditoris, providi, loci, temporis, mensuræ nescii; quæ cum ab Philosophis vel ipsa pumice aridioribus continenti disputatione explicantur, sua sponte augustior facta assurgit oratio, et audientium mens modo hians, arrecta, inter deum quodammodo et hominem media, prope jam cognato cœlo videtur accedere, modo ipsa in se recidens et interposita immensitate deterrita, ad verendam inaccessæ majestatis imaginem contracta, trepida, adoratura prosternitur. Ea ergo rationalis eloquentiæ species, quæ phantasia neglecta intelligentiæ notionum granditate abblanditur, mentemque proprio abstractarum idearum pabulo alit ac roborat, nequaquam in religiosis concionibus ab ea tempestate expectanda. Ipsa illa notio supremi Numinis rudem molem indigestamque evolventis; brutæ imperitantis materiæ, luce tenebras, tumultum ordine, chaos uno verbo terra cæloque mutantis, apud Græcos, historicorum testimonio, non ante

Anaxagoram cognita. Crassioribus ergo notionibus malo humanitatis fato nobiliori religioni prolusum, exsculptumque divinitatis εἴδωλον corporeis eorum hominum ingeniis consonum, quodque corpoream idcirco eloquentiam, hoc est imaginosam, exæstuantem, poeticam postularet.

Enimvero disertos illos Theologos prælustribus naturæ aspectibus, qui per sensus animum admiratione aut validiore aliquo affectu percellerent, opportunissimis religionis vehiculis usos existimem. Solem splendidissimum naturæ miraculum, lucis fontem, qui per oculos fulgore obrutos prope de debito sibi obsequio mentem admoneat, citatissimo raptatum cursu terrena omnia vitali igne foventem, quo exoriente reviviscat natura omnis, et assurgens consalutare parentem ac principem videatur; Lunam Solis æmulam, astrorum ductantem choros, cærulea spatia candidissimis pingentem radiis, per nocturnas inerrantium tenebras fidissimam ducem; oculos amiciore lumine blandidissime titillantem, primos ab Græcis pro Diis cultos facile suaserit et humanorum ingeniorum indoles, et Orientalium populorum exemplum, quos constat hujusmodi superstitione passim obstrictos, eo graviore noxa et pe-

riculo, quod is ex omnibus religiosis erroribus ab ratione sibi relicta minimum discrepet. Et sane Graecorum primos nequaquam ab eo cultu abhorruisse, non levi argumento fuerit, ipsum divinitatis nomen θεὸς, quod vel ab θεάω, vel ut Plato opinatur in Cratylo, ab θέω ductum, *spectabilem* aut *currentem* significat. Cum enim luce nihil purius, nihil vividius, motu vero si sensus consulas nullum vitae atque animae certius indicium, facile eos inductos crediderim ut existimarent, praecellentiorem aliquam seu divinam inesse mentem nobilissimis illis corporibus, quae radiato serto circumdata tantum curriculi negato hominibus itinere indefatigabili impetu emetirentur. Ea certe opinio cultiore aetate non vulgi modo sed et sophorum animos late pervaserat, usque eo ut Anaxagoras, qui primus Solem ardentem massam vocitare ausus, morte, aut certe exilio, violatae solaris divinitatis poenas rependerit. Quocirca Theologicam disertorum Graecorum facundiam in hoc primum argumento versatam credimus, minime dubitandum quin ex eorum oratione, ab astro ipso lucem igneamque vim mutuata, scintillae quodammodo absisterent ad ingeniorum aciem praestringendam aptissimae, unde facile religiosa admiratio, atque adeo jucundissimae alienationis sensus erumperet.

Nihilo tamen secius illud minime absurdum existimaverim exitisse aliquos qui hac ex parte Epicureæ sententiæ proluderent, et laboriosam illam astrorum vitam, certo curriculo, quasi strato penso, continenter exercitam servilis potius ministerii quam divinæ beatitatis, atque adeo auctoritatis indicium ducerent: cumque iidem ipsi animadverterent solis faciem ingruentibus interdum nubibus inobscurari, aut profusis imbribus lacrymantis præseferre speciem, non erat intellectu arduum diurna æque et nocturna sidera ministros esse ac satellites potioris principis qui cœlo, terra, natura omni ex consilio aut lubidine abuteretur. Cum porro eorum temporum homines intrinsecis ejusdem proprietatibus odorandis nedum æstimandis plane essent impares, duo tantum supererant fontes, ex quibus divinitatis notio proflueret, beneficentia nempe ac potentia, quarum altera ex constanti physicarum vicissitudinum ordine, altera ex improvisis et fomidolosis naturæ aspectibus emineret; utraque vero per spem ac metum, quos ductandæ humanitati habenas opportunissimas dixeris, efferatos atque effrenes animos, quasi indociles equos, ferendo religionis jugo condocefaceret. Latus in utraque explicanda patebat eloquentiæ campus, in quo

vires suas in diverso dicendi genere potenter expromeret. Et sane si quis per ea tempora dicendi artifex eum quasi in tabula pictum exhibuit deum, qui Soli, vitæ et fœcunditatis aurigæ, servandam indigitet semitam; qui cæruleum noctis peplum lucidissimis quasi gemmis distinguat; qui dejectos in nimbo oculos versicoloris arcus jucundissimo miraculo exhilaret; qui tempestatum vices, annique orbem sua per vestigia remeabilem circumducat, per quem germina vi vegetabili prædita tempestivis alantur imbribus, æstivi calores suavissimis Zephyrorum animis demitigentur, ver floridissima veste renideat, coronetur æstas flavescentium spicarum serto, autumnus omnigenis fructibus, quasi lætissimo convivio, ovantem exultantemque animantium universitatem excipiat; qui tandem fieri poterat quin hujusmodi tincta coloribus floreret ac renideret oratio, quin ea in audientium animis blandissime inserperet, quin audientes ea permoti atque illecti, grati animi, et religiosæ caritatis sensibus, beneficentissimum parentem ac principem prosequerentur?

Verum enimvero ejusmodi notiones quas omnium primas bene constitutis mentibus obversatas decuit, aliquanto serius quam par fuerat obortas crediderim, nec prius quam supe-

rioris potentiæ impendentis metus, feroces ac reluctantes fregisset animos, eosque ut protritas bidente glebas molliores religiosis accipiendis satibus reddidisset. Solemne quippe humano ingenio ab familiaribus, vulgatis, constantibus minimum affici: superbus animus assueta benefacta ingratissimo stupore pro debitis exigit, ac ferarum ritu obstipo capite prædæ incubantium, oculos in paratis bonis defixos vix unquam in cœlum attollimus. Præterea lætitia gestiens secundam fortunam consequi: ea vero solutior affectus, lascivior, intemperans, curæ, modi, modestiæ nescius: ex eo confidentia et audacia quæ propriis præfisa viribus

Jura negat sibi nata, nihil non arrogat ausis.

Nihil porro hujusmodi statu ab religionis sensu disjunctius, quippe quæ compositum animum, suæ sibi imbecillitatis conscium, in se reductum, atque adeo subtristem desideret. Itaque inter epulantium lasciviam ac tripudiantium choros, si quid religiosum jeceris, prope desipere videaris aut surdis canere. At vero ubi sata vastata grandine, aut eluvione disperdita, mapalia turbinis vi cum magna degentium strage disjecta, aer tabifico corruptus halitu spirabilem mortem circumtulit, tum religio e cœli regionibus caput ostendere, tum

agnosci præpotens illa divina vis, qua premente humana omnia quasi pulvis vento ludibrium ferantur, tum homines abjecti, inopes, facile induci ut ab ea manu, qua lethali plaga afflicti ac perculsi, votis et precibus medicinam ac salutem expostulent. Quocirca, si ab Hebræis recedimus, quibus Deus ipse peculiari ratione innotuit, seseque quantum humana natura patitur purissima in luce spectandum præbuit, et cæteros populos primævæ originis oblitos, ac sinceræ religionis immemores consideramus, non absurde ab latino Poeta videatur dictum:

Primus in orbe deos fecit timor, ardua coelo
Fulmina cum caderent, discussaque moenia flammis.

Jam id si statuimus, illud etiam continuo inferendum, nullum unquam extitisse argumentum, in quo pertractando eloquentia valentioribus tormentis oppugnaret animos, aut potentius iis inflammandis suam illam mirificam, ut ita dicam, pyrotechniam experiretur. Stasicrati Græco architecto, ut ex Plutarcho cognoscimus, assentatione sollertiam acuente, succurrerat Atho montium celsissimum, quantus ab humo in aerem protenditur, totum in Alexandri effigiem exsculpere, magnumque illum Poliorcetem Europæ atque Asiæ obstupe-

scentibus ita exhibere,ut vertici turrita corona circumdato solidum laurorum nemus insurgeret, intra pedes mari imminentes capacissimus pateret portus, dextera manus amplissimam sustineret urbem, sinistra septemplicem fluvium in subjectum pelagus projectaret. Dignum enimvero Alexandro architectum, immane phantasiæ ausum, et quo nihil in humanis grandius quisquam conceperit. Lusus hic tamen, Auditores, et jocus præ illa prodigiosa divinitatis imagine, quam ex omnium terrificorum phænomenorum congerie coalescentem attonitis Græcorum mentibus disertorum Theologorum opera observatam decuit. Concipite igitur animis corpoream atque humanam formam (ecquid etim aliud suspicarentur corporea barbarorum ingenia?) proceritatis non enarrabilis, et si se in conspectum traderet, universam mundi machinam innumbraturæ, cujus circa verticem æterna caligine obsitum, tempestates ac turbines provolverentur, ab naribus, quasi duplici Ætna, flammarum erumperent vortices, crinibus fatiferi cometæ inardescerent, absisterent ab oculis fulgura, os infrenes ventos terræ ac maribus profligandis exploderet, inerraret manibus mors, internecio, ruina, vastitas cujus attactu cinefacti montes

liquescerent, clamore cœli cavernæ horrifico tonitru et conduplicatis boatibus resultarent; incessu denique natura omnis labefactata et convulsa ex intimis visceribus contremisceret: is Deus, Auditores, is Jupiter, qui ab eloquentibus mystis ferocissimis Græcorum ingeniis ad subjugandos religione animos proponebatur. Esse hæc in hujusmodi argumento tum rei tum naturæ consona ex eo apertissime licet evincere, quod sacri ipsi Scriptores defæcatis de divino numine imbuti notionibus, cum tamen sese humanis accomodantes divinam illam in homines et humana omnia vim ac potentiam sensibus appingendam suscipiunt, cum immutabilem illam mentem ex nostra loquendi ac percipiendi ratione vehementioribus affectibus percitam repræsentant, iisdem prope coloribus qui superius a nobis adhibiti passim utuntur. Cæterum ecquid inauditis ex hujusmodi oratione tonitrua et fulgura sponte erumpentia? ecquid prospicitis ferocissimos illos bipedes, humi provolutos, ac videre jam sibi visos minacem capiti imminentem deum formidoloso quod memoravimus ornatum choragio, inevitabiles pœnas ab superbis atque improbis reposcentem, eoque horribiliorem quod nullo conspicuus loco, ex omnibus improvisus im-

pendeat? ecquid demum intuemini vulsos crines, percussa pectora, inspersa cineribns capita, tum eos ululantes, ejulantes, hærentes 'n ararum amplexu, unico angoris perfugio, eos ad sequacis Numinis iram arcendam, non larymis modo, sed animantium, et fortasse etim hominum, sanguine respersuros?

Quod si cui videtur probabilius terrificas hujumodi ideas nequaquam continuo in vastissinam illam unicæ divinitatis molem compactas, aut eam existimat non diu post in multiplies exsolutam partes, ita ut singulis prælustrius phenomenis suus auctor quasique machinariu adscriberetur, tum vero ebulliente Dæmonum examine, singula elementa ac præcipuas nauræ partes inhabitantium, qui nulli cospicui, quæ tamen procurationi intenti promiscue cum hominibus diversarentur, multimoda sponte noorum prodigiorum seges exsurgere, quæ ex tot superiorum entium potentia ac lubidine, et eciprocis earum conflictibus subolesceret. Quocirca si cui cordi esset certum aliquem fovere cultum, et huic aut alteri numini nova superstitione assentari, et quidquid collibuerat fingendi jus amplissimum, communis licentia. Hinc inaudiri quotidie lapidei aut cruenti imbres, pecudes humano mo-

re subloquutæ, lacrymosa marmora, inerrantes nubibus larvæ, fœda somnia, subterraneæ voces, horrificæ, perplexabiles, monstrosi partus, Gorgonum ac Scyllarum portenta, quæ singularibus piaculis procuranda, non sine hirtis crinibus, exangui facie, et alto pectoris anhelitu referrentur. Itaque eorum Theologorum facundiæ, tum quæ in actione, tum quæ in oratione esset posita, exspressam, opinor, imaginem Virgiliana Sibylla exhibuerit.

.... Deus ecce Deus, cui talia fanti
Ante fores subito, non vultus, non color unus,
Non comptae manxere comae, sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tumet, majorque videri
Nec mortale sonans, afflata est Numine quando
Jam propiore Dei.

Et sane, quod mirere, ubicumque apud profanos scriptores legeris vates, mystas, devotos Diis homines Deorum nomine proloquutos, omnia semper in iis religiosæ insaniæ symptomata coire videas, ut minime dubitandum sit quin ex eorum eloquentia audientium animi enthea quodammodo contagione afflarentur. Magna ea

ætate sacræ hujusmodi facundiæ parata merces: facile quippe factum ut Deorum interpretes obsequii suis Numinibus debiti potissimam et fructuosissimam partem in sese arcesserent, ex quo paulatim convaluit summum illud et plusquam regale imperii genus, quod Dæmonocratiam apposite dixeris, quodque per orbem superstitione implicitum vetustissimis temporibus viguisse barbarorum præcipue gentium historiæ testantur.

DE
EUMOLPO ET CERERIS
FABULA

ACROASIS I.

...... Proximum ab Orpheo locum inter disertos Heroicorum temporum Theologos jure sibi vindicare videtur Eumolpus, quem etiam nonnulli Orphei filium, alii nepotem existimant. Verum in rebus ad remotissimam et fabulosam antiquitatem spectantibus genealogica stemmata et perplexabiles Chronologorum supputationes securo animo, me quidem auctore, neglexeris. Ut ergo Sacrorum Oratorum familiæ Eumolpum accenseam, eo maxime adducor, quod ejus præcipue opera ac ministerio peracta fuerint celeberrima illa Eleusiniæ Cereris sacra, quorum religio per Græciam latissime propagata sui nominis fama universam antiquitatem personuit. Ea vero horumce sacrorum fuit ratio, ut neque concipi, neque percipi, neque perfici possent nisi ab homine qui et imaginandi facultate ad poeticum habitum prorsus accederet, et enthea illa exæstuantis

facundiæ polleret vi, quæ phantasmatum granditate percellit animos, mentemque de suo statu reciprocis affectuum fluctibus quassatam et labefactam proturbat. Id ex iis quæ infra dicentur patebit clarius. Cæterum vel hoc neglecto, mysteriorum dignitas atque amplitudo, exquisita quæ in iis latitat eruditio, non Philologis modo sed sapientiæ consultis dignissima, ingeniosa in iis enarrandis præstantissimorum virorum molimina, faciunt ut existimemus nullum esse argumentum quod penitioris Philologiæ amatoribus magis in pretio esse debeat, et in quo liceat majore cum audientium tum jucunditate tum utilitate immorari. Nihil hujusmodi sacris in omni antiquitate nobilius, nihil ea religione augustius aut sanctius, nihil postremo quo tantopere Græci, ac præcipue Attici, mortalium gloriosissimi, gloriarentur. Est illud a Pausania concinne et graviter dictum, quanto dii potiores semideis, tanto Eleusinia sacra cæteris terrarum religionibus præstitisse. Atque ut ne vos coacervatis, quod facile possem, veterum testimoniis obtundam, juvat unum ex omnibus audire Aristidem sophistam hæc de hujusmodi sacris religiose ac magnifice prædicantem. *Ecquis enim aut Graecus extat aut barbarus usque adeo inhumanus atque excors, ecquis*

tam in ultimis terris positus, tam Divini nominis nescius, tam, ut verbo complectar omnia, ab omni decori pulchrique sensu prorsus abhorrens, qui non Eleusina quoddam quasi commune humanitatis sacrarium existimet, eamque religionem omnium quae uspiam in terris sunt, tum sacro horrore augustissimam, tum spectaculo splendidissimam fateatur?

Porro in ejusmodi argumento videre est rerum copiam cum dignitate certantem: præsto est quocumque te verteris seges uberrima, ut quid seligas, quid prætereas non facile appareat. Ergo, ut ordine procedat Oratio, tractationem omnem tres in partes tribuendam statuimus. Agetur in earum prima de Eleusiniorum sacrorum origine; in qua disputatione apparebit quod sæpe a nobis ex hoc loco dictum, quot et quanta Mythologiæ, hoc est Græcæ antiquitatis arcana Phæniciæ linguæ ope felicissime reserentur; tum etiam fulcietur opportunissimo exemplo quod de poetica priscorum hominum lingua et naturali fabularum origine disseruimus. Explicabimus in altera religiosæ pompæ rationem ritusque omnes Græcorum oculis passim expositos; quæ quidem disquisitio tum multa afferet scitu atque observatu dignis-

sima, tum complura Græcorum scriptorum loca vivida ac jucunda luce perfundet. Postremo in tertia, quæ præ cæteris Philosophicæ frugis plenissima, arcanas cæremonias et arcanos earum sensus investigabimus.

Ejus ergo instituti origo a Poetis fidissimis popularium opinionum custodibus repetenda. Ceres frugum Dea Siciliæ priscis temporibus imperitabat. Ei filia Proserpina formæ elegantia mire spectabilis; ea cum in Ennensi valle floribus virginali studio legendis vacaret, ab Orci tyranno, qui nihil Furiis formosius domi conspexerat, ex proxima specu clanculum visa; appetita, rapta, et apud inferos caliganti dignata thalamo, prohibitura videlicet ne Plutonium nomen sine liberis, Tartareum regnum sine hærede esset. Mater filiæ raptu cognito, ignoto raptoris nomine, continuo gnatæ vestigia persequi, terras peragrare omnes, nec nisi ea reperta in Siciliam regredi. Ergo accensa ab Ætnæ cratere gemina face, quæ nocturnis itineribus præluceret, multis erroribus circumacta aliquando in Atticorum oris Eleusinem appulit, ibique fessa ad puteum consedit in lapides, defecta viribus, inops, exspes, cibi nescia, luctu pasta. Petra inde ἀγέλαστος dicta, mœroris indicium: puteus postea Callichori do-

natus nomine,quod Eleusiniæ puellæ circa eum Cereris oblectandæ gratia choris ductitandis vacarent. Accurrere accolæ, pro se quisque ei recreandæ studere; tum primum mulierculæ cavillationibus ad risum inducta, peropportuno jentaculo instauratæ vires, oculi epoto papavere ad somnum illecti. Postremo ab Celeo Eleusinis Rege hospitio comiter excepta, agresti gaza, regifico animo, innoxio, Diis accepto: ita factum ut raptæ Proserpinæ dolor sensim mitesceret. Ea Eleusiniorum comitas a Cerere multo maximis benefactis pensata: ii quippe ab ea frugibus donati, instituti cæremoniis, instructi legibus. Ejusmodi divina munera a Triptolemo Celei filio Divæ acceptissimo, junctis curru draconibus per aerem subvecto, per Græciam propagata omnem; per eum cum spicifera segete morum etiam humanitas et religio disseminata suboluit. Grati animi ergo instituta a popularibus festorum solemnia, quæ factorum memoriam testarentur, et cum beneficentissimæ hospitis cultu, agriculturæ studium, legum observantiam, religionis sensum foverent. Ea Eleusinia, ea mysteria. Quæretis fortasse quid bona Proserpina factum. Facile putatis ferrugineum inferni amatoris os, et Tartareas blanditias non admodum ad Gallorum codicem

accedentes, eleganti puellæ terriculamento fuisse potius quam amoris illicio; nec minorem aut minus diuturnam inter eos excitatam rixam, quam qua apud Kamschadalos, ut ex Periegetarum testimonio cognoscimus, singulari sane consuetudine nuptiæ parantur. Mater ubi tandem rem comperit, ad Jovem se confert; Plutoni diem dicit; repetit filiam, matrimonium ex raptu irritum clamitat, Olympicum forum muliebri ejulatu complet. Multis ultro citroque jectis, ab optimo sequestro Jove duodenis Parcarum tabulis sententia lata: *Proserpina ni quid apud Manes comessit, matri redditor, si comessit in eam Plutoni jus esto.* Rore, opinor, ut olim de cicadis dictum, vitam sustentari apud inferos a Parcis creditum. Malo Proserpinæ fato paululum ea punici mali in Ditis horto gustaverat; id compertum Ascalaphi indicio, miseram perdidit. Vix precibus impetratum a matre ut gnata semestre apud superos moram faceret, totidem menses tenebricoso sponso adhæsura. Habetis fabulam, hoc est non Poetarum figmentum, ut vulgo creditur, sed popularem opinionem testatam festorum solemniis, et religiosa auctoritate suffultam.

Juvat jam audire quo pacto eam narrationem explicet Clericus vir tum Græca atque Hebrai-

ea litteratura, tum præcipue Critica sagacitate jure clarissimus. Quam Latini dixere *Cererem*, ea *Dio*, aut *Dimiter* ab Græcis dicta. Ea mulier Siculorum Regina, ut ex Diodoro cognoscimus, nova ac perutili arte tellurem imbuit, per eam serendi ac metendi ratio, invitante glebarum ubere in Sicilia orta, Græciam late atque Italiam pervasit, ac passim Dodoneæ glandes mutatæ frugibus. Constituta etiam ab ea societas, et optimis legibus communita, homines ejus benefacto a pecudum gregibus tum victu, tum cultu secreti: hinc ea legifera dicta, humanitatis parens habita, templis demum atque aris excepta. Ejus filiam Latinis *Proserpinam*, Græcis posteriore ætate *Persephonem*, *Perephattae* primitus gavisam nomine, Plato locuples auctor in Cratylo. Parentis ac gnatæ appellationem ab Phæniciis sumptam res clamitat. Quippe *Dio*, aut *Dai* Phæniciis *copiam*; *Perephatta* Chaldæis affinibus *uberem fructum* significat. Nihil aptius materno nomine, nihil expressius; filia ominis gratia ita dicta, quod ea, si Diodoro credimus, post commissa telluri semina in lucem edita. Per ea tempora *Aides*, aut *Aidoneus* Molossis, genti inter Epirotas politissimæ, imperitabat. Id nomen Phæniciæ originis *perniciem* connotat. Ab eo

primum Rege sævitum in telluris viscera ad opes quæ melius latitaverant inde eruendas. Actis per magna spatia cuniculis cavati montes: multæ ibi a metallariis concamerato opere excisæ cryptæ, quibus tecti ad multos menses solis nescii, in perpeti nocte, fodinis sollicitandis vacarent. Inde si quando emergerent, metallica facie larvas potius referre quam homines: subterranea eorum vita, æternis damnata tenebris, larvale os, fœdi habitus, aurea aut argentea mors idemtidem per ea loca grassata, sæpe etiam superas auras incestans, sponte impulere homines ut vulgo dicerent Manium sedem in Epiro, Manes ipsos sub Aide esse. Id suadente rerum ac notionum affinitate figurata loquutione dictitatum sæpe ab finitimis, ab alienigenis ad eas oras appulsis favente nocturno spectaculo pro vero creditum. Hinc Molossorum atque Inferorum Princeps pro eodem habiti, uterque ex opibus *Pluto* dictus. In ea interpretatione fulcienda cum rationis dictatu mire conspirat historia. Epirus ac Macedonia, neque enim vetusta ætate satis earum discreta ditio, metallicis venis ditissima, ut inde etiam Philippo auri atque argenti abunde suppeteret, quo in mercanda proditorum fide uteretur. Aidex aut Adex non loci appellationem sed

hominis ex Græcorum loquutione ἐν Ἄδου, hoc est in *Orci domo* aperte cognoscimus. Aidonei nomen Epirotico Regi adhæsisse in comperto est; Epirotæ qui fodinis operarentur ab caligine ex Phœnicio etymo Cimmeriorum appellationem sortiti, nec immerito νεκύων εἴδωλα καμόντων, *fatigatorum Manium spectra* ab Homero dicti. Postremo Cocytus, Acherons, cæteri Inferorum fluvii ab Epiro ad Manes fluxere. Is ergo Aidoneus Perephattæ forma percelebris amore captus, ejus nuptiis frustra appetitis, vim parandam ratus, coacta domesticorum latronum manu piratico myoparme in Siciliam transfretat: puellam in Ennensi valle floribus legendis vacantem ex insidiis improvisus adoritur, occupat, abripit, et prope Syracusas conscensa navi cupita præda triumphans in Epirum pergit. Missi actutum a Matre qui gnatam unde unde conquirerent: ubi ea apud Siculos vestigata nuspiam apparuit, Græciam sibi ipsa peragrandam statuit, sicubi latitantem offenderet. Cætera quæ de Cereris in Atticam adventu ejusque apud Eleusinios incolatu narrantur, nihil est cur fabulam potius quam veram historiam existimes. Unum est quod negotium facessat Triptolemi per aerem volitantis miraculum. Id cognita Phœniciæ linguæ

natura nullo negotio evanuerit. Triptolemum oblongo navigio agriculturæ propagandæ gratia Græcorum oras circumvectum vetustus Atticæ historiæ Scriptor tradit Philocorus. Navium rostra tum primum ære fortasse instructa par credere. Rem ergo ab Phæniciis ex nativæ linguæ, nativæ syntaxeos indole, eo ferme pacto indicatam decuit: *Faiabò bemercab vechamphè nakasbò*. Jam in eo brevissimo dicto tria ex quinis vocabula ambiguitate laborantia deprehenderis: quippe *mercàb* currum peræque ac navigium, *champhè* et alas et extremam rei cujusque partem, *nakas* denique tum æs tum serpentem significat. Ergo cum esset id iis propositum ut dicerent Triptolemum navigio ærea rostra prætendente Græciam obisse, emersit Græcornm auribus mirifica et perjucunda sententia eum curru draconum alis obsecundantibus circumvectum. Jam si alæ ad iter adhibitæ, aereum id fuerit, non maritimum necesse est. Cæterum in Epiro Proserpinam degere, sero admodum Cereri innotuit: eo ergo ubi advenit, filiam offendit aliquanto raptori sponso, ut est in his rebus lenissimus puellarum animus, mitiorem factam: iræ lenitæ obsequio, aversatio blanditiis victa; accesserat curarum levamen domesticus hortulus,

in quo multæ fructiferæ arbores ipsius manu consitæ; punica præcipue mala, peculiare sponsæ delicium. Mater id intelligens, oranti genero, tacenti filiæ tandem indulsit, connubium ratum esse jussit, satisque habuit si gnatam ipsam bona cum conjugis venia stato tempore quotannis reviseret. Ita Clericus: quæ sit nostra de hujusmodi interpretatione sententia sequenti schola innotescet.

Liceat interim rebus nostris fausta ominari omnia ab hac auspicatissima die, qua hic assidentem et promerita jamdudum toga spectabilem intueri datur egregium virum, quem et amicissimum, et multis ingenii atque animi dotibus nobilem, in ampliore locatum sede tum mihi gaudeo, tum huic gymnasio, cui per eum non mediocris gloriæ accessio futura est, summopere gratulor.

DE

EUMOLPO ET CERERIS

FABULA

ACROASIS II.

Persequimur Cereris fabulam Eleusiniorum sacrorum causam, et Clerici sententiam ad trutinam revocandam suscipimus.

Multa in allata egregii Philologi explanatione sponte se objiciunt, quæ se nobis felicis-imæ sollertiæ laude jure commendent; nonul-a tamen, ne quid dissimulem, videntur esse, uæ nos non facile patiantur defecato prorsus imo ejus interpretationi acquiescere. Duo curate commonstranda ut ei narrationi histo-ia concilietur auctoritas; raptam Proserpi-m, devectam ad Atticos Cererem: quippe a Cereris adventu fluxere fruges et sacra, ad-veus a raptu. Neutrum ex iis, ni fallimur, sa probabili ratione suffultum. Extitisse in Sica principem fœminam, legiferam, frugife-rande humano inter suos cultu bene pro-mem nihil est quo vetemur credere. At ve-

ro quod ad Proserpinam attinet, non mehercule subdubitare non possum ne Græci Siculæ Reginæ allegoricam filiam pro naturali, ac legitima supposuerint. Profecto sive eam Perephattam, seu Persephonem appellare lubeat, utroque nomine, quorum prius *uberem*, posterius *reconditum fructum* significat, agriculturæ se potius quam fœminæ sobolem, et poeticum magis quam physicum puerperium facile ostenderit. Neque vero magnopere moveor Diodori Siculi testimonio, qui Proserpinam inventis demum frugibus in lucem editam diserte affirmat: unde enim existimemus Augusteæ ætatis Scriptori Cerealis domus annales ita penitus innotuisse ut vel ipsam filiæ genesim probe cognoverit; nisi si id ex publicis connubiorum, et natalium tabulis depromptum credimus. Sed neque illud temere credendum, Cererem quam satis adulta ætate condendi legibus vacasse decuit, non ante suæ ipsam fœcunditatis dedisse specimen, quam tellure injectis seminibus fœcundasset. Id vero etia ad opinionem infirmandam nonnihil confer quod quis tandem Cereri sponsus, qui Pros pinæ pater fuerit, neque ab Diodoro, ne ab alio aliquo ex vetustis scriptoribus tritum. At si eam fabulosæ narrationis pa

ex nostra interpretamur sententia, tum id ab Diodoro nec opinante verissime dictum: quippe fruges procul dubio primum eductas oportuit ut supposititia illa Cereris filia posset existere.

Quæ de Molossorum Principe, Inferorum Regi cognomine, de Inferis in Epiro quærendis, de manium cum metallariis similitudine, ab Clerico dicta, felicissima sane esse fateor, quæque tanti nominis criticum maxime deceant. Verum enim vero ea ipsa quæ optime in Aidoneum videntur cadere, suadent quam maxime ut eum fidenti animo raptæ Proserpinæ crimine liberemus. Neque enim ullo pacto fas credere viguisse apud eum populum metallifodinæ peritiam, quem sationis ratio, et agrorum cultus lateret. Quippe illud in vita omni comparatum est, ut promptiora absconditis, artificialibus naturalia, necessaria commodioribus longissime anteeant. Ipsa artium instrumenta perdiu ignota, casu oblata, sero animadversa, nec ante exculta quam necessitate inertiam quodammodo fodicante, et exacuente sollertiam, præsentirentur. Quocirca lenta semper artium inventio, progressio lentior: ut in populorum historia totidem prope sæculis alterum altero priorem dixeris, quot is ei inventis,

aut excultis artibus præstat. Metalla quæ natura, ut Ovidianis utamur verbis, Stygijs prope antris admoverat, unde promptius, quam ab tellure agriculturæ gratia altius effossa innotuerint? Quod si cui videatur probabilius aut rupe repentino fulminis ictu disrupta, aut exundantium aquarum impetu raptata crepidine, aut turbinis vi eradicatis arboribus, aut tellure intestino motu labefactata atque hiante, ante inventa Cereris munera metallicas venas apparuisse, hominibus tamen in summa opportunorum alimentorum inopia versantibus non usque eo securis, otiosisque esse licuit, ut metallis vestigandis, atque elaborandis vacarent, cum præcipue eorum natura, temperatione, ac laboriosis præparationibus plane ignoratis nihil esset cur multiplices eorumdem opportunitates certo aliquo indicio suspicarentur. Enimvero Vulcano opifice, seu potius divinatore, opus fuerat, ut ad ferreæ massæ conspectum cultrum, securim, ligonem, vomerem mente præciperet. Auri vero, antequam homines eo ut communi mercimoniorum pretio uterentur, non ea in humanitatis incunabulis gratia, ut laboriosam in eo parando locandam operam coloris flavedine satis pensatam existimarent. Hinc silvestres Americæ populi,

qui auro vel ad vilissimos vitæ usus abuterentur, idque cum nostris vel minimi pretii opificiis permutarent quam libentissime, satis mirari non poterant quid tantum Europæi homines fulvi ejus luti cupiditate insanirent. Quocirca cum agriculturæ, ac Metallurgiæ in artium annalibus diversa assignata sint tempora, patet, opinor, fieri nullo pacto posse, ut Cereris, et Aidonei personæ in unam, eandemque ætatem convenerint. Et sane is Epiri Rex, qui fortasse ex fodinarum cultu, et subterraneo vitæ genere Inferni Regis nomen adhæserat, ab Græcis Thesei ætate, hoc est duobus prope post Erechteum sæculis, vixisse dictus; qui quidem Theseus cum Aidonei sponsæ raptum parasset, orta ex ambiguitate nominis fabula, Proserpinæ inhiasse traditus, seseque ejus obripiendæ gratia ad inferos Pirithoo comite penetrasse. Neque vero Cereris iter Proserpinæ raptu probatius. Mitto quærere quid causæ fuerit, cur Ceres generum tum Regem, cum præcipue ditissimum repudiarit. Unum animadverto, cum raptus latam ab Aidoneo repulsam sit consequutus, stupidissimam mortalium fuisse Cererem si ei ab quo filia rapta, quo abducta, præsertim in publico facto, multis consciis, multis testibus, nec rescire prom-

pte licuit, nec suspicari; id ergo cum comunis ratio minime suadeat, quid erat cur sese infinitæ peregrinationi committeret! Ecquam vero putatis ejusmodi principem fœminam quæ Regali sede primo occupanti relicta, sine satellitio, sine armis, votivis, ut ita dicam, vigiliis, votivo jejunio sese ipsam atterens, continuis dierum, noctiumque itineribus, ipsa sibi prælucens cereum, ad filiam quæritandam universum terrarum orbem ante Navarchum Ansonium circumvagatur? Id ex historia ne, an potius ex Romanensi aliqua erraticorum equitum fabula videtur depromptum? Quod si tamen eam peregrinationem quoquo pacto susceptam credimus, qui quæso factum ut Ceres ante ad Atticam, quam ad Epirum appulerit, cum Attica in Eoa Græcia ad Egeum, Epirus in Occidua ad Jonium contra Siciliam sit posita? Eo porro si primum advecta, ut certe par credere, qui fieri potuit, ut non ea concupitam filiam offenderit? Nisi forte putamus Regiam sponsam ab Aidoneo quasi ad metalla damnatam, et in fodinarum tenebris perpeti custodia detentam. Nam accensæ ab AEtna faces, et punica mala, et obscenæ mulierculæ Baubonis scurrilitas ab Clerico libenter in historicam fidem recepta, satis claro ar-

gumento sunt, Criticos vel acumine, et judicio præstantes non difficillimos esse mortalium, ubi dilectæ cuipiam hypothesi serviendum existiment. Ego vero, etsi non diffitear, perplures ex historia emersisse fabulas, non pauciores tamen ex fabulis historias vicissim crediderim officiosa interpretum opera bellissime mecoagntatas.

Simpliciorem, ut ipsi quidem videtur, interpretationem Bergerius exhibet, vir hac ætate multis præclarus nominibus, eo præcipue, quod summam, qua pollet, eruditionis copiam, et facundiæ vim ad religionem illustrandam, et communiendam converterit. Is ergo Cereris festum non aliud primitus retur fuisse, quam rusticanum triumphum, qui pensatis messe uberrima agriculturæ laboribus, ab gestientibus et ovantibus agricolis florea redimitis corolla, et coronatos juvencos, ac ruralem supellectilem tam bene de annona promeritam magna cum exultatione ostentantibus, ageretur. Fortuita multa nec nobis cognita multis causam dedere ritibus, quorum cum ratio, atque origo lateret posteros, conficta ab credula, rudique turba Cereris historia, quæ rem quoquo pacto explicaret. Cætera, quæ a Bergerio afferuntur ejusmodi sunt, ut in iis docti inter-

pretis industriam potius, quam fabulosæ narrationis originem, et auctorum mentem, liceat agnoscere. Perephattæ, aut Persephones nomen ex ejus sententia factum ex *per* augendi particula, et *reph*, ac *saphan*, quod utrumque *obtectum*, et *reconditum* connotat. Signati eo nomine opum thesauri, quibus aut sub terra, aut in arca delitescere fatale est. Persephone Cereris filia, quod Metallurgia non aliunde, quam ab agricultura ortum duxerit. Id ab antiquis, ut etiamnum a popello creditum, excubare thesauris servandis custodes Dæmonas, quos deinceps homines caballisticis initiati mysteriis Gnomos dixere. Hinc ex officii similitudine Pluto apud Græcos idem et opum, et manium Rex habitus. Pluto item dictus Molossorum princeps, qui fodinis sollicitandis ditesceret. Inde illud increbuit Persephonem ab eo raptam, potitum videlicet thesauris in telluris gremio latitantibus. Ceres terrarum orbem ad quærendam Persephonem circumvecta; nempe fruges auro mutandas quoquo gentium deferri videas: nuspiam tamen nisi apud inferos reperta filia; nimirum altius terram effodias oportet, ut uberes auri, atque argenti venas offendas.

Gemina sunt Bergerianæ interpretationis

capita, seu potius gemina ejusdem fabulæ interpretatio. Quippe ex ejus opinione Cereris nomine Agricultura, Proserpinæ Metallurgia connotata. Quocirca cum geminæ ejusmodi artes, ut superius ostendimus non mediocri temporis intervallo ab se distent, jure inde liceret inferre, duplicem fabulam duplici, ac diversa ætate compositam in unam coisse. Atqui ejus narrationis partes tam apte inter se compactæ, tam altera alteri continenti factorum serie adhærentes, ut matrem ab filia divellere nequaquam liceat. Præterea ex duabus laudatæ explanationis partibus simplicior altera quam ut præcipuis fabulæ adjunctis et consectariis conveniat, altera elaboratior, quam auspicatior. Sane non admodum proclive intelligi, quo pacto rustica exultantia confectam messem sequuta, universam Cereris historiam ex se propagarit, ac præcipue qua ratione ea popularis festivitas in verendam illam mysteriorum sublimitatem evaserit. Facile quidem phantasiæ semel adaperta semita longissime progredi; at aliquid semper esse opus est, quod errabundæ vel obliquo incedentis itinere regat vestigia, et sinuosos viarum flexus, multis intercisos diverticulis procul indigitet. Nam pleraque Bergerii etyma aut contorta,

aut gratuita; analogia, qua is innititur obscura, atque evanida; allegoricæ quæ inde eruuntur sententiæ subtiliores, atque arcessitæ, prorsus ut temere ab eo jactata, et in Clerico desiderata simplicitas ab ejus interpretatione penitus exulet. Ceres, filiæ vestigia persequuta orbem peragrat, quod fruges pecuniæ comparandæ gratia per omnes terras ferantur. Finxissent, opinor, melius Μυθοποιοὶ a Perephatta filia quæsitam Cererem, quippe in frugum copia liceat facile opes contemnere, at qui thesauris opulentus frugibus careat, ne is Midam perbelle referat fame ac siti male concupito auro immorientem.

Cum Bergerio in ea fabulà allegorice interpretanda consentit Plussius, in hoc tamen ab eo discrepans, quod ei universe unicam significationem subesse autumat, et ex unico principio minime vulgari sollertia singula evolvit. Ceres, ut is existimat, eadem cum Iside AEgyptia, in qua omnès Græciæ, atque adeo terrarum Deas sibi videtur agnoscere, ut in Oro atque Osiride Deos superos, inferos, medioxumos ad unum omnes. Ceres ergo, si originem quærimus, non aliud quam tetræ symbolum, seu tellus ipsa muliebri donata specie; in Isidis, aut Cereris pompa agriculturæ historia,

terræ eluvione pessumdatæ, tum injectis seminibus reviviscentis duplex, ac diversa conditio totidem symbolicis imaginibus repræsentata, legum latio, cultus humanior, in frugum auctorem, atque hominum altorem deum grata, et religiosa caritas, quæ omnia ex georgico vitæ genere corroborata, evoluta, orta, certis quæque indicata ritibus, curatumque ut eorum recordatio, et melioris conditionis sensus figurarum, symbolorumque ministerio altius mortalium mentibus infigerentur. Id festum in AEgypto ortum ab Phæniciis navigatoribus traductum in Græciam. Processu temporis primævæ cæremoniarum origini, et symbolicarum imaginum significationi irrepsit obblivio, hinc favente minus accurata Phæniciæ linguæ notitia figuræ in personas versæ, et solidus perutilis instituti sensus futili narratione corruptus.

Enim vero si minus ab erudito viro acu res, ut dicitur, tacta, certe ejus opinio paulo enucleatius exposita videri possit potiorem aliquam veri speciem, ac similitudinem præseferre. Unum est, quod non inepte rogarit aliquis cur Græci symbolicam istam Deam ex AEgypto ductam in Sicilia potius, quam Thebis, aut in celebriore alia AEgyptia urbe ortam duxerint,

eamque *Dio* aut *Dimitera* potius quam *Isidem* appellarint. Cæterum in ea religione festi originem a progressu, atque incrementis rite secernas. Ejus videlicet rudem, atque inconditam speciem simplici cultu contentam Legumlatores, et Mystæ, qui multiplices ejusdem opportunitates perviderant, multis ac reconditis cæremoniis auxere, quæ politicis, ac religiosis eorum finibus obsequerentur. Eas fortasse ab AEgypto ductas facile dederim: at ad prima fabulæ lineamenta, festique imaginem adumbrandam nihil erat cur Græci ab AEgypto exemplum, quod sequerentur, arcesserent, cum, ut alias patebit clarius, domesticam habere Cererem, non AEgyptiis tantum, aut Siculis, sed cunctis terrarum gentibus æque licuerit. Verum eo in præsens omisso, juvat id unice animadvertere unum esse in quo clariores interpretes mire consentiant, Cereris fabulam magna ex parte ex Pheniciæ Linguæ ignoratione conflatam. Id ergo accipientes, experiemur sequenti schola si forte liceat per clarissima trium Philologorum vestigia libero pede incedentibus, simpliciorem, eoque ipso magis probabilem interpretationem extundere.

DE
EUMOLPO ET CERERIS
FABULA

ACROASIS III.

Universum fabularum genus in tres ego potissimum classes tribuendum censeo; et fabularum alias natas, factas alias; alias postremo quæsitas libenter dixerim. Natæ fabulæ eæ jure videntur esse appellandæ quæ nullo consilio ex ipsa humanæ mentis natura, et communi linguarum indole proficiscuntur: factas porro eas diximus, in quibus vera aliqua historia mirificis adjunctis, et naturæ ordinem, viresque excedentibus, prope ut vetustus paries, hedera clanculum inserpente, inumbratur: quæsitas denique fabulas rite vocaveris, quæ vel a Poetis ad oblectationem elaborandam confictæ, vel ab Legumlatoribus Sophisque compositæ, quo scilicet ex earum involucro quasi e pellucida aliqua nube vividius ac jucundius reconditioris veritatis lumen erumperet. Jam in factis et quæsitis fabulis interpretandis video

Mythologorum gregem eruditis conjecturis ac divinationibus plus etiam fortasse quam opus fuerat exercitum: at ad primam fabularum classem quod attinet, quæ præ cæteris observatione dignissima, ut pote in qua mentis gressus liceat agnoscere, vix quemquam inter Criticos vel majorum gentium reperias, qui ad penitam earum originem explorandam philosophicum in iis obtutum defixerit. Illud vero gravius quod diversa fabularum natura minus perspecta ad alterius generis fabulas explicandas alterius principiis inconsulta sollertia usi, ita sæpe a vero aberrarunt, ut dubitare liceat magisne populus fabularum auctor curioso stupore, an interpretes erudita sedulitate ineptiverint. Hinc ex iis alias videas historias nullo negotio procudere non probabiliores illas fabulis, sed frigidiores; alios allegorica somniare somnia, et infanti rudium populorum intelligentiæ arcanos sensus tribuere ex Philosophorum scholis depromptos; alios demum quidquid Deorum est in AEgypto ortum, atque eductum contendere, quasi absurdum sit homines iisdem naturæ aspectibus peræque affectos, in eadem causarum ignoratione versantes, eodem mentis donatos habitu, eandem etiam, aut consimilem insanire insaniam, neque Græcis in desipiendo

αὐτοδιδάκτοις esse licuerit. Proclive, non diffiteor, fabulis per multorum ora longa peregrinatione traductis novis in dies accessionibus interpolari, ut processu temporis mentiantur originem, et eruditorum oculos variis aspectibus ludificentur: at si rei quæ in fabula præcipua eminet vestigiis hæremus, et humanæ mentis incessum sequimur, licebit diversa ab constantibus, ab naturalibus fortuita, adnata ab adscititiis rite secernere. Longum esset, neque hujus temporis, explorare penitiores, nec satis perspectos rei Mythologicæ canones, sine quibus informe illud chaos semper alta premetur caligine, semper ordinem, lucemque indignabitur. Nunc in Cereris fabula hærentibus, et nostra partitione usis, fas illud animadvertere eam ab Clerico inter factas, a Bergerio, et Plussio inter quæsitas referri: nos eam contra lubentius credimus in earum album, quas natas diximus referendam.

Id antequam ostendere aggrediar necessarium puto pauca vobis in memoriam reducere, quæ de Poetico primævorum hominum ingenio fuse alias hoc ipso ex loco tractata nostis: meminisse igitur vos decet, auditores optimi, illud a nobis et ratione, et re ipsa evictum, præter eos homines; quorum intelligentia divini pro-

pe digiti impulsu lentæ rationis evolutioni anteverterit, cæteros omnes facile adductos, ut quidquid improvisum, atque inassuetum, quidquid humanitati percommodum, aut naturæ formidandum appareat, id omne referrent acceptum inconspicuis quibusdam entibus, quos Deos dicerent, qui suam vim in elementis singulis experirentur, et potiores naturæ partes aut gubernatione regerent, aut sua etiam præsentia suo domicilio honestarent. Hinc prima fabularum origo: hinc ejus generis fabulis ubique gentium unum prope os, unus color; ut qui ex earum similitudine continuo inferendum existimat eas ab AEgyptiis, aut Græcis per Europam omnem disseminatas, is eodem jure censere possit lapides ab Germania in Italiam traductos, quod Italici lapides ab Germanicis nihil distent. Verum ad amplificandam naturalium fabularum silvam maxime conferunt succrescentes abstractarum notionum, sententiarumque propagines; quippe quæ ex communi ac necessaria tum mentium, tum linguarum indole nec diutius cogitatione versari, nec vocabulis circumscribi, atque evolvi possint, quin continuo exsurgat imago aliqua per quam eæ non modo soliditate, vitaque præditæ, sed humana etiam forma, humanis donatæ animis

videantur. Ea fictitiorum entium examina, ea intelligibilis ratio mirifice propagata volitare passim, humanos sensus, affectus, habitus sibi adsciscere, nec populari modo, aut Poetica, sed Philosophica etiam lingua, cogente necessitate, aut multiplici usu lenocinante, libenter excipi, ut nullum sermocinationis genus non ex fabulosis hujusmodi loquutionibus magna ex parte coagmentatum liceat offendere. Impune id quidem ætate nostra, expolitis jam, et roboratis ratione mentibus: at quis dubitet abstracta hæc εἴδωλα viventibus, atque animatis expressa vocabulis, crassæ rudium hominum intelligentiæ illusisse, et ab necessariis linguæ fabulis germanarum fabularum seminarium in humanis mentibus constitutum? Juvat audire M. Tullium eo pacto cum Philosophia colloquentem: *O vitae Philosophia dux, o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! Quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitae convocasti: tu eos inter se primo domiciliis, deinde conjugiis, tum litterarum, et vocum communione junxisti; tu inventrix legum, tu magistra morum ac disciplinae fuisti; ad te confugimus, a te opem peti-*

mus, tibi nos penitus, totosque tradimus.. Fac eam sententiam vernaculo idiomate versam aliquis e vulgo memoriter recitatam exaudiat. Dispeream nisi de Principe aliqua fæmina eorum facinorum effectrice verba fieri pro certo habet, et Moschorum fortasse Reginam, de qua tam multus apud nos sermo, Philosophiam appellatam existimat. Quamquam in eo probando nihil conjectura opus est, cum id facto liceat evincere: quippe Amor, Fortuna, Honos, Virtus, plurima id generis alia, non ante ararum, atque imaginum honore macta, quam necessario linguæ obsequio vita, forma, animis, actibus donarentur. Atque in ejusmodi errores prolabi humano ingenio multo proclivius, ubi generalem aliquam, et abstractam sententiam non satis familiari idiomate expressam exaudiat. De eo si quis dubitat, luculentissimum exemplum suppeditaverint amplissimi inauspicatorum interpretum greges, qui apud Bibliopolam aliquem pacto triobolo immerentibus Gallicis Scriptoribus miserrime lancinandis operam locant; apud quos nihil crebrius liceat offendere, quam appellativa rerum, aut idearum vocabula translata in propria, et per mirificam stuporis μεταμόρφωσιν homines non ex lapidibus, ut Pyrrhæ sæculo, sed

ex notionibus factos. Quocirca cum qualiscumque Græcorum eruditio primitus ab Phæniciis profluxerit, Græci vero Phænicia lingua hospitali uterentur non patria, fieri nullo pacto poterat, quin in percipiendo abstractæ sententiæ sensu inassueto ludificati vocabulo aliquando pro rebus larvas amplexarentur.

Habetis jam ea omnia ex quibus natam Cerealem fabulam non quæsitam, aut factam liceat ostendere: age ergo, rem aggrediamur. Cererem Erectheo imperante ad Atticorum oras appulsam, sive Erecthei ætate agriculturam inventam, vulgatior, quam probabilior opinio. Cereris iter, licet id ipsa Oxoniensia testentur marmora, somnio, quam historiæ similius satis ostendimus. Porro sub Erectheo ipso constat Eleusinios pro tuendo eorum sacrorum jure acriter cum Atticis bello certasse; ex quo dignum videtur credere eas cæremonias Eleusiniis ab avis, ac proavis per manus traditas, ut proinde id sibi decoris per vim extorqueri ægre ferrent. Jam de Cereris in Atticam adventu popularem fabulam multo ante vulgatam oportet, quam festorum solemniis exceptam. Neque enim hominum commenta, et oriri eodem tempore, et convalescere. Fabulam adulterinam historiæ sororculam appo-

site dixeris: clandestini natales, pater incertus, obscura, ac tacita infantia: ali in tenebris, occulto ævo, ut arbores, crescere, tum sensim manare, adornari, processu temporis videas adultam, quam vix satis adolescentem animadverteras. Legitimo fabulæ auctore ignorato, subolescere auctorum examina: auriti testes pro oculatis haberi, quod ab nullo est, datum omnibus: ita ex singulari multitudinis indole ipsa dubitationis argumenta fidem corroborant; ita fabula jam secura, jam sororem habitu assimulans *ingrediturque solo, et caput inter nubila condit.* Duobus prope ante Erectheum sæculis conditam ab Cecrope Athenarum arcem, eamque gentem salubri legum lationis jugo obstrictam, et excultam humanis moribus, tum vetustæ Græcorum historiæ, tum publica Atticorum monumenta testantur. Id vero nullo mehercule pacto fas peragi antequam agriculturæ studium Atticorum cogente fame temere per silvas palantium multivagos errores compesceret, eosque in unum coactos, opportuno, gratoque pabulo, et necessariis ad id parandum laboribus moraretur. Credibile est igitur per Cecropem ex AEgypto hominem primitus frugum semina in Græciam invecta; verum ex maligna Attici soli natura, et rusticanæ

suppellectilis, vel carentia, vel minus accomoda forma, nequaquam pari proventu colonorum labores repensi. Cum ergo Atticam terram summa identidem annonæ caritas premeret, Sicilia interea temporis glebarum ubere semper ætissima abundare frugibus sponte natis, promptius excultis, et Siculi homines omnigena terrestrium bonorum copia affluentes egenis lapidei soli cultoribus admirationi esse, atque invidiæ. Per Phænicios, qui Siciliam coloniis tenerent, ac Mediterranei oras legerent, ea Siculorum beatitas Græcis innotuit.

Recolite, auditores, animo quæ de poetica lingua, de abstractarum sententiarum natura, de suboscuro Phænicii idiomatis sensu superius dictitatum: facile existimabitis id sæpe ab admirabundis navigatoribus dictitatum, *copiam in Sicilia domicilium sibi parasse, feracitatem ejus filiam formosissimo aspectu beare oculos*. Nihil ejusmodi loquutionibus hac ipsa ætate communius, solemne vero Phæniciis ut ex geminis rebus quarum altera quoquo pacto ab altera profluat eam filiam, isthanc parentem appellitent. Jam copia, ut monuimus, Phæniciis *Dai, Perephatta* dicta feracitas. Græci, qui jam antea in frugifera telluris vi divinum inesse aliquid suspicarentur,

decepti poetico sententiæ habitu, ex duabus notionibus extudere geminas Deas, et ignota vocabula pro utriusque appellatione sumpsere. Factum aliquando ut in Sicilia, quæ antiqua ætate magis etiam, quam nostris temporibus Vulcaniis ignibus fæta, tellure vehementiore motu disrupta, omnis late regio miserrime vastaretur, et erumpentes flammarum vortices succrescentem colonorum spem, ipsaque adeo frugum germina fæde pessumdarent. Id ab Phæniciis memoratæ figuræ adhærentibus, communi et nostris temporibus loquutionis genere expositum, novis erroribus ansam præbuit. *Aid*, *Aid*, nativo vocabulo dixere ipsi, hoc est, *exitium*, *pestis*, *pernicies e barathro erumpens feracitatem abstulit*, *copia e Siculorum conspectu subito evanuit*. Vigebat jam apud Græcos, humanæ mentis indole ita ferente, vulgata opinio, latitare in terræ visceribus insitum Deum terrificorum prodigiorum artificem, altæ potentem caliginis, morti inhiantem, umbrarum arbitrum. Unde potius quam ab eo esset intestinus terrarum tremitus, ignei vortices, ruina, vastitas? Eum ergo rite Phænicii *Aidis* nomine designasse crediti. Jam, ut dictum, *copia*, et *feracitas*, pro fæmineis numinibus habitæ: verus ergo raptus,

vera fuga, et vera ex naturalibus mentis, et inguæ fabulis, emersit historia.

Non diu post ea tempora Eleusino, planissimo, et ex Attica omni percommodo frugibus solo, agriculturæ ars per Phænicii generis homines melioribus auspiciis exculta. Inventum aratrum quo nihil ad eam promovendam præsentius, instructa etiam supellex virgea, quæ frugum sinceritati, atque incolumitati consuleret: tum vero proventus colonorum votis, atque industriæ par extitit; injecta telluri semina magno cum fœnore in uberrimam segetem excrevere. Jam aratri artifex, aut etiam aratrum ipsum nulla ratione circumscribi aptius poterat, quam si *sulcorum attritor* vocitaretur. Id ipsum expresse significat Phænicia vox *torep telem*, ex qua sponte fluxit *Triptolemus*. Rustica vasa *Kelim* dicta, aut leniore gutturali littera in asperioris locum suffecta *Celim*, unde *Celeus* facile emerserit. Postremo proventus Phæniciis *Bo*, atque id ei populo peculiare, ut ad indicandam alicujus rei frequentiam, aut copiam verba conduplicent. Ita *Bo Bo* proventus uberior, cui geminum Græcorum *Baubo*, nomen in Cereali fabula non ignobile. Sollers ille aratri conditor eruditis perutili arte Eleusiniis, per Græciam deinceps o-

mnem agricolturam circumtulit, navigio vectus. Id linguis commune omnibus, ut nova quælibet notio junctis perspectarum, atque affinium nominibus designetur. Navigium nihil felicius expresserit, quam currus aliger. Ea Pœtarum, proindeque priscorum hominum linguæ perfamiliaris loquutio. *Argoam navim volitantem flamine currum* Catullus vocitat; naves ab Eschylo in Prometheo dictæ *λινόπτερα θάλασσοπλαγκτα ναυτίλων ὀχήματα*, *currus nautici Praetervolantes lineis pennis fretum*. Id navigium cum fruges veheret vitæ alimenta, vitæ fulcrum merito dictum. At eadem Phænicia vox tum vitam, tum *serpentem* significat. Mirabilior significatio, ut vulgo assolet, veriori prælata, hinc orta Draconum per aerem volitantium portenta. Juvat jam omnem Phæniciorum narrationem continenti filo pertexere, quo scilicet et fabulæ inde ortæ et nostræ interpretationis ratio clarius emineat.

Ergo constituta jam arte ea multis post annis narratio sensim coaluit. *Siculi antiquitus regnante copia beati: ejus filia feracitate nihil formosius. Egressa ab inferis pestis impetu facto feracitatem abripuit, evanuit copia. Ea aliquando tandem multis terris*

peragratis Atticam appulit, comiter Eleusine excepta: aratro obsecundante, juvante rustica supellectile, primum apud Atticos arrisit proventui. Inde certae agriculturae leges: currus aliger, vitae fulcrum, fruges per Graeciam cum aratri auctore circumtulit. Ex ejusmodi oratione poeticis, et Græcophæniciis conclusa dictionibus videtis egressa *Perephattae*, ae *Daimiteros* Numina, erumpentem orcum, raptum filiæ, matris fugam, ejus in Attica domicilium: videtis Celeum divino dignatum hospitio, Deam mulierculæ Bauboni arridentem, pervium Triptolemo aerem, serpentum colla jugo subjecta; postremo loquutiones non admodum ab nostris dissonas, erroribus, ac prodigiis fœcundas. Hæc porro ubi credita, proclive erat ornare fabulam, et adjunctis ex re ipsa sponte fluentibus perfectam dare. Profecto si Pluto raptor, Proserpina ad inferos adducta, si Ceres post illa evanuit, gnatæ vestigia persequutam par credere; si continuata per noctes itinera, faces ei prælucerint necesse est, si filia sub terras abiit, orbem a matre frustra peragratum oportuit: ita, ut mittam cætera, quo majore homines in deducendis consectariis sagacitate pollerent, eo longius a vero abducti, et ex unico erroris surculo

silva suboluit. Cereris fabulam exposuimus, aliorum sententias attulimus, nonnulla in iis animadvertimus, nostram subjecimus: vestrum est jam, Auditores ornatissimi, quid probabilius videatur, statuere.

EXCERPTA
NONNULLA

DE

SCRIPTORIÆ

ARTIS ORIGINE

Hanc de litteris doctrinam quæ hactenus a nobis exposita, quæque fortasse puerili quid et exigui pretii leviculis hominibus videatur, momenti contra longe maximi, et æstimatione atque adeo obsequio dignissimam fatebuntur, qui reputent ei debitum unice inventum, quo nullum in humanæ mentis historia præclarius, nullum de sociali cultu ac de rationis progressibus melius promeritum, scribendi artem. Nimirum ab hac vocabulorum musica, uti ita dicam, anatome, ab hac tum organorum tum elementorum vocalium comparatione, ab hac denique sonorum per vocabula temere atque obscure inerrantium exquisita indagine, tum eorum discretione, pensitatione, atque censu, ab his, inquam, principiis profectus, præcellentis, quisquis is fuerit, ingenii vir, quem infantis sæculi Neutonum aliquem aut Verulamium merito

dixeris, illud primum sagaciter animadvertit primigenios loquelæ sonos multo pauciores esse numero quam ipsi in dictionibus compositi atque intermixti præseferant, tum illud acute introspexit eos certis donatos nominibus, certis etiam et peculiaribus notis distingui posse, quarum aspectu continuo cujusque soni simul et in memoria nomen, et in auribus quod am modo sensus exsurgeret. Ubi eo meditando progressus est, affulsit ei, quasi per jubar aliquod, imago artis nec sperandæ nec divinandæ, quæ oculos pro auribus alloqueretur, nec jam abnormes, implexas, perplexas figuras, ut semper antea, sed sonos dictionum artifices, inversis quodammodo naturæ officiis, prompte et percommode appingeret: quo callidissimo invento non modo quidquid hæc aspectabilis rerum universitas complectitur, sed quidquid etiam formæ et coloris omnino expers pingi, fingi, tractari abnuit, quidquid humanis mentibus obversatur aut in humanis animis latitat, et accurate repræsentari atque exprimi, et ad longinquos transmitti, et propagari etiam ad posteros facile posset. Insigne enimvero benefactum, singularem ac mirificam artem, per quam instituta primum inter propinquos et alienigenas animorum et cogitationum com-

mercia, humanitas officiis expolita, commodis aucta, ingeniorum fœtus non ut ante fugacibus auris permissi, sed fideliori custodiæ ad auctorum gloriam et communem utilitatem concrediti; artem ad cujus exemplum, multis post sæculis, elaborata ac suborta ars altera prioris æmula, quæ duplicem constituit epocham inter quas humanæ mentis adolescentia ac virilitas continetur.

Eritne etiam qui post hæc litterulas nostras tantorum bonorum opifices injusto fastidio despiciat?

DE INCOMMODIS EX PRAVA PRONUNCIATIONE ORTIS.

Cæterum, ut eo regrediar unde paulisper deflexeram, ex iis quæ superius dicta satis apparet, licet vocalis machinæ organa eadem numero ubique sint, non tamen eandem in elaboranda loquelæ harmonia ubique ab iis præstari operam, quippe cum organa singula non singulis gentibus æque flexilia æque prompta, multæ hinc alphabeticæ, ut ita dicam, intemperiæ existant necesse est; ex quo fit ut aliæ gentes alias agnoscant litteras, ignorent alias, gaudeant certis earum flexibus, a certis ab-

horreant, quasdam expeditissime efferant, in quibusdam pronunciandis impingant ac cespitent, vocesque ex iis compositas pessime multent, et miris modis distorqueant.

Minime porro mirandum id ab alienigenis in extraneis linguis contingere quod sæpe ab indigenis ipsis in nativis vocibus pronunciandis videmus fieri. Dixeris apud gentes omnes duplicem in communi vita versari dialectum, alteram optimatum, popelli alteram. Non facile sperandum ut litterarum vim in pronunciando assequatur qui non iis accurate perlegendis assueverit. Inter homines scriptionis ignaros incerta litterarum æstimatio, incertæ notæ, nec internosci atque expendi faciles nisi singulæ litteræ in statas organorum classes tributæ accurato examine et ab diversis et ab affinibus secernantur. Quod in pueris organorum imbecillitas, in vulgo inscitia, id sæpe in cultiorum filiis efficit prava nutricum, aut pædagogorum institutio, incuria, festinatio, oscitantia, et inauspicatum in re, ut putant levicula, morosæ diligentiæ fastidium. Hinc hausta a teneris pronunciationis vitia perdiu neglecta, et sus deque habita, tum assuetudine roborata tenaciter tota vita adhærescunt, multasque in sermonem inferunt labes non uno dein-

ceps nomine pœnitendas. Ephraimitas cum ab reliquis Israelidum tribubus seu linguæ seu pravæ institutionis vitio in litteræ *Schin* pronunciatione differrent, non sibi tamen idcirco minus placuisse crediderim, multoque minus quicquam sibi ex ea discrepantia molesti et inauspicati ominatos. At næ eos longe aliter sensisse, graviterque indoluisse oportuit ubi post adversam contra Galaaditas pugnam ad Jordanis vada effugium quærentes, cum in eo omnes ipsorum spes essent positæ si salutari mendacio genus et patriam inficiarentur, voculam *Schibolet* pronunciare jussi, et unius litterulæ proditione detecti, ad quadraginta hominum millia fœdissime interciderunt. Bono tamen animo esto si quis temporibus nostris naturali aut acquisito pronunciationis vitio laborat: non est mehercule cur quis idcirco Judaicam carnificinam exhorreat. Mitiora vos manent pœnarum genera, sanna, videlicet, cachinnus, sibilus, qui tamen aliquando anguineo sibilo prope horribilior honestiorum et pudentium auribus solet accidere. Enimvero quanti ea pœna, quanti porro ea noxa æstimanda qua qui obstringatur, videat sibi interclusam curiam, obseptum forum, obvallata rostra, ipsos denique sacrarum ædium suggestus

impervios. Nam profecto ubicumque eloquentia suas vires exerit, ibi primus accuratæ pronunciationi locus: in ea si impingas, si sordeas, frustra Oratoriæ artis laudem affectes, frustra in audientium animos illabi postules: superba auris quasi fastidiosus janitor repellit ac respuit.

Non esse hæc ex declamatorum consuetudine ad rem exaggerandam conficta, sed vero et experientiæ consona, unus instar omnium exemplo luculentissimo ostendit Demosthenes. Is cum ob neglectam ab avaris atque improbis tutoribus sedulæ institutionis curam laboraret minutis istiusmodi loquelæ vitiis, atque adeo principi suæ artis litteræ pronunciandæ impar esset, nihilo tamen secius ea, ut plerique assolent, parvi pendens, cum satis ipse sentiret nullam sibi deesse ex iis partibus quæ solidum et præclarum Oratorem constituunt, et Minerva ipsa impellente in eloquentiæ arenam multo spendidissimam incredibili inpetu raperetur, ubi primnm per ætatem licuit, nihil ei longius visum est quam in Atheniensium conspectum prodire, et gloriæ, auctoritati, potentiæ, auris denique popularibus, obsequente Oratorio spiritu velificari. Jam is ergo nihil mediocre volutare animo: selectum ab eo argumentum

omnium quæ ad rem pertinerent publicam nobilissimum, et quo Athenienses præ cæteris afficerentur: exquisita oratio, perfecta ingenio, elaborata industria, quæque, si unquam alias, lucernam oleret, quippe in qua Demostheni omnes civilis vitæ et futuræ existimationis spes essent positæ. Noctis quæ stato diei proxima vix minimam particulam somnus abstulit: semisopito plausus, laudationes, coronæ, paratum suggestus imperium obversari animo, et juvenili ingenio proximæ gloriæ dulcedine lactato quasique ebrio mire abblandiri. Longior ea visa nox quam quæ Herculi elaborando inservierat. Consurgit, accingitur, dicenda in memoriam revocat, immoratur eminentioribus, sibi plaudit, nec vana (quid secum dissimulet?) tenetur spe, fore ut ipso exaudito fervida Callistrati ac Laodamantis fama paulatim refrigeat. Procedit aliquando in medium, suggestum ascendit, expectatio præconis loco silentium indixerat. Adolescentem antiquis moribus, publicæ rei studiosissimum, chartis impallescentem, Rhetorum præceptis sedulo imbutum, Socraticis Platonis opera madentem sermonibus magnum aliquid nec sane vulgare allaturum. Paululum oratione processerat, mussitare clanculum Attici, tum admurmurare ac supplode-

re. Gratulari Demosthenes, ea secundissimi favoris indicia ratus, ac prope præ gaudio liquescere; pergit, murmur increbrescere: tum is mirari, subsistere; cachinni hinc inde erumpentes molestissimi interpretes rem paulo aliter quam expectaverat explicant: postremo cum sese incitans persequeretur, tanta exorta sibilorum vis, clamor tantus, ut Orator jam mali certus, jam impos animi, qui esset, utrum esset, an non esset id ipsum nesciret, et vix tantum sufficeret viribus dum sese e suggestu daret præcipitem, et obseratis auribus, togaque obvoluto capite per confertam exsibilantium, explodentium, indigitantium turbam sese ocyssime in fugam proriperet. Ubi primum ex eo æstu ad se rediit, Plutarco teste, inambulabat is secus littora, Bellerophonti Homerico similis

Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans:

atque hic complorare fortunas suas, eoque acriore stimulo confodi quod ambiguus hæreret animi Deosne, an homines, an se ipsum de tanta calamitate incusaret, nec satis secum statuere posset quo tandem Oratorio peccato tantam ac tam insperatam ignominiæ molem in se arcessisset. Properabat ergo domum Minervæ iratus, immerentes Rhetorum libros,

suasque lucubrationes cedro dignissimas paternæ fornaci injecturus, et vacaturus deinceps, domesticas sequutus artes, ferreis operibus procudendis, vir quem eloquentia suis ipsa confabricandis coruscandisque fulminibus designaverat. Affuit opportune Satyrus clari ea tempestate nominis histrio, qui veram ejus infortunii causam edisserens, abjectum et jacentem consilio excitaret suo, moneretque ut primum emendandæ pronunciationi vacaret sedulo, tum rursus in populi conspectum prodiens fidenter ex Periclea qua pollebat dicendi ratione, omnia sibi secunda et prospera polliceretur. Ex eo Demosthenes in id unice enixe incumbere, et cum prava institutione quæ jam in naturam abierat strenue luctari: modo calculis in os injectis contendere ut linguæ repagula disrumperentur, modo continentem stridentium ac frendentium dictionum seriem pronuncians efficere ut asperiores litteræ exercitatione tractatæ retractatæque mollescerent. Ubi pravæ consuetudinis vitia pertinaci labore expugnata, tum rursus in concionem prodire ausus, hianti ac miranti populo videri alius, et ejus loquela non jam hirta, prope dixerim, salebrosa, scabra, sed lævigata, expedita, flexilis, per aures molliter illapsa, tum demum pro

imperio in audientium animis dominari. Est sane cur magnas histrioni optimo habeamus gratias per quem foro et gloriæ Demosthenes redditus est, vero etiam cur aversemur inconditæ pronunciationis vitium, per quod parum abfuit quin ipsa Atticæ Suadelæ vox conticesceret.

DE VARIA VARIORUM POPULORUM PRONUNCIATIONE.

Verum ut ad inchoatam orationem regrediar, quid ni juvet, Auditores, raptim diversas terrarum oras circumvehi, variasque apud varios populos pronunciationis intemperias minime otiosa curiositate explorare. Sinenses canina littera, Lavenses in Asia trans Gangen positi et hac et liquida lamda deficiuntur. Childiani in Caledonio Oceano unam inter Hebridas insulam incolentes liquidis omnibus pronunciandis omnino impares. Littera phy, si Hontano credimus, nulli ex Canadianis gentibus cognita. Hurones, quod magis mirere, Arctoæ Americæ populi carent labialibus litteris, ita ut nunquam labra in colloquendo intercludant. Hottentotos Africæ gentem, quæ præ ceteris in Austrum vergit, balborum populum dixe-

ris, tam aspere linguam palato affricant, tam prave distorquent. AEthiopica lingua, ejusque præcipua dialectus Amharica septem donatur litteris soni Europæis plane ignotissimi, vocales inconditæ atque horridæ ut audientes terreant; prorsus AEthiopum soni, Ludolpho teste, cum tetro nationis colore mire consentiunt. Fertur etiam in Africa gens aliqua esse ἐγγαστριμυθος, ita ut vocem ex infimo ventre videatur effundere: quæ quidem subterranea pronunciandi ratio ad terrorem incutiendum mirifice facta, in Europa etiam aliquando ab iis præstigiatoribus affectata qui se se commodos malorum Geniorum hospites profitentur, ejusque hospitii pretium non ab Geniis ipsis sed ab hiantis popelli loculis bellissime æruscant. Jam vocalium apud Europæos ipsos nomina eadem, soni sæpe aut permutati aut dissimiles, ex quo fit ut eadem vocabula in diversarum gentium labris diversa existimes. Galli, Germani, Angli si Latinum aliquid recitent, Italico homini, Latini sermonis gnaro, in cæteris hospiti, loqui lapides videantur. Porro singulis populis in aspirationibus, accentibus, sibilis mira diversitas. Explodunt Angli singula verba e labris cum sibilo; Florentini, ut Italos etim attingam, in infimum gutturem

cum aspiratione detrudunt: Neapolitanos audire est in familiaribus colloquiis repente syllabam aliquam sine causa, non sine audientium risu improviso ejulatu in altum attollere; postremo singulæ gentes, ne longior sim, vocem unaquæque sibi propriis neque cum altera communicandis flexionibus vibrant aut crispant.

Hæ omnes quas hactenus recensuimus pronunciationis discrepantiæ, quoniam effectus sine causa nullus est, indicant aliquam in subtiliore vocalis organi textura diversitatem ab cœli temperie profectam. Nimirum aer, aquæ, terrestres halitus, ciborum genera, ut omittam naturam longe potentissimam, efficere ut fibrarum aliæ aut debilitentur aut roborentur, aliæ constringantur corrugenturque, aliæ relaxentur ac protrahantur. Itaque cum videamus vocabula in multiplici regionum populorumque peragratione quo proprius ad Septentrionem accedunt labialibus sibilis, quo magis in Austrum vergunt gutturalibus aspirationibus prægravari, arguimus in Arctois hominibus externas vocalis machinæ oras, in Australibus intrinsecas tubi extremitates promptiore mobilitate et flexilitate donatas. Hæc quæ facile docti speculatoris oculos effugerint arripit auris et sentit; ita organum organo, studium

studio juvatur ac regitur; ita linguarum peritia ad Anatomicam historiam aliquid confert.

Porro hujusmodi observatio quæ pluribus momenti videatur exigui, ad alias fortasse multo graviores et animadversione dignissimas gradum ecerit. Si enim est aliqua in loquelæ instrumentis diversitas neque visu neque tactu agnoscenda, quam tamen certi et constantes sequuntur effectus, quid ni suspicemur et in præstantium membrorum, et in præcipuorum viscerum fabrica inesse quampiam subtilissimam atque imperscrutabilem diversitatem quæ sentiendi ac percipiendi vim peculiari aliqua ratione flectat ac dirigat, quæque humani animi actus non invalido momento possit impellere? Quid ni ex ejusmodi causa putemus factum, ut nationes aliquæ in certas consuetudines pronæ a certis abhorreant, ut hæ ad concessum humanæ naturæ perfectionis gradum citato cursu rapiantur, illæ ab eo multis adhuc post sæculis absint longissime, æternæque fortasse infamiæ damnatæ non excitabilis rationis stupore obtorpescant? Quod si ita est, jam illa barbarorum et silvestrium populorum exempla in quibus recentes periculosarum opinionum amatores sibi mirifice placent, et e quibus somniatas quasdam naturæ leges eliciunt quas

super nostrarum consuetudinum ruinas altissime gaudent attollere, per se ipsa dilabuntur et corruunt, cum eæ fortasse gentes arcana physicæ conformationis vi a cultioribus populis tam longe distent, quam ab iis animantium greges; earumque natura sit fortasse quasi proportionalis aliqua media inter humanitatem et feritatem censenda.

Præterea hæc ipsa de qua loquimur mechanica linguarum structura non caret aliquo cum populorum ingeniis et moribus nexu. Latinarum vocum textura, mascula, simplex, solidis litteris sine duritate compacta, sedatæ Romanorum fortitudini apte respondet; Hispanorum verba sonora, polysyllaba, cothurnata, nationis supercilium et tumidam gravitatem ostentant: asperarum litterarum concursus ac dura collisio qua Septentrionales linguæ insuaviter in aures nostras impingunt, indicat subesse animis agreste aliquid ac rude, neque mentes satis adhuc eleganti institutione mollitas nativam ferociam exuisse: contra mollium litterarum usus et consonarum cum vocalibus jucunda ac temperata permixtio amænam ingenii mollitudinem et mores politis artibus jamdudum excultos ostendit, quales in Italis cernimus: quos inter Venetorum loquela in-

qua nihil absonum, molestum, nimium, quæ aperta, expedita, blanda in omnium populorum aures suaviter et gratissime illabitur, per se ipsa candidos gentis animos, et mitissimam humanitatem præsefert. Cujus eximiæ Venetorum indolis, quæ in principibus civitatis viris præcipue cernitur, luculentissimum vel in te uno conspicamur ac deosculamur exemplum, Hieronyme Justiniane, Prætor egregie, in quo præter cæteras virtutes, quæ tibi in regunda provincia sese ad nutum continuo sistunt, tanta eminet ac tam delenifica humanitas, ut te omnes ad obtinendum in animos imperium dedita opera ab natura factum et compositum fateantur.

DE MULTIPLICI USU DERIVATIONUM.

Sed loquutionibus et verbis præstat multiplici usu derivatio, quippe ejus ope non primævas modo ideas, sed arcanos idearum nexus, incertos intelligentiæ gressus, ac propemodum itinerariam mentis tabulam conspicamur. Ea ergo duplex, quarum alteram intrinsecam appellare licet, extrinsecam alteram. Ea est cum verbi origo ab nativa lingua, hæc cum ab aliena deducitur. Enimvero si pergratum

esset Periegetæ Geographo sequi sinuosum fluminis lapsum, quod ex obscuro primum et ignobili antro prosiliens tenuique vena subserpens, auxiliaribus deinceps undis auctum ac tumidum, modo continuo rectoque cursu latiore expatietur alveo, modo negatam sibi viam vi aperiat, ripasque invadat non suas, aut in multiplices rivos diductum et capitis immemor, regiones longissime dissitas pervagetur; quanta, per fidem vestram, et quam exquisita delectatione perfundi decet philosophum hominem per humanæ mentis ideas peregrinantem, seseque per hujusmodi labyrinthum vulgo inextricabilem erudita analysi, quasi Ariadneo filo, sollertissime revolventem? dum in verborum derivationibus prospicit animi peregrinantis vestigia interdum expressiora, interdum levissima ac prope evanida, aversa, transversa, intercisa, multimodis gressibus et regressibus interturbata; dum observat animum modo recta via incedentem ex legitimo idearum nexu legitimam quoque verborum sobolem propagare, primævam originem clarissimis notis testantem, modo deviis itineribus inconsulto impetu abductum quasi ex vulgivaga Venere genuinæ soboli adulterinos vocum fætus adjungere, et affinibus et vetustæ matrifamilias ægerrime

cognoscendos; dum animadvertit ut mens e peculiaribus ad generalia conscendat, rursusque ab eorum fastigio ad peculiaria delabatur, ut physicarum rerum notis metaphysicas et morales ideas signet atque imprimat, ab rusticis urbana, ab rudibus magnifica, ab naturalibus artificiosa vocabula sollerter educat, ut e propriis translata effingat, et translata rursus convertat in propria; ut demum levi analogia ducta difformes notiones eidem vocabulorum classi subjecerit, ex singulis postea vocabulis novas notionum classes eliciat, eidem mechanicæ articulationi subjeciendas, ita ut quæ primitus derivata erant nomina in primitivorum naturam transeant, et licet vocabula longissimis spatiis distracta radici constanter adhæreant, ideæ tamen non nisi cum proxime præcedenti nectantur.

DE ETHYMOLOGIA ET RADICIBUS VERBORUM.

. . . . Quocirca qui philosophico instructus ingenio Ethymologiæ ope per verborum origines circumducitur, is iter ingreditur usibus, moribus, opinionibus, permixtis veritati erroribus longe lateque interspersum, quod

ille jucundissime relegat, et unde ea referat; quæ magno mehercule cum fœnore peregrinationis labores rependant. Quod si singula vocabula quasi in articulos resecare lubeat, comperiemus tunc pleraque omnia quæ primitiva et simplicia videbantur derivata esse et composita; tum repetitis sectionibus eo tandem analytica methodo deveniemus, unde nos synthetica usi jam a disputationum nostrarum initio linguas omnes ortas, et confabricatas ostendimus. Intelligitis, opinor, me jam de radicibus verba facere, hoc est de primigeniis illis, atque organicis vocibus monosyllaba articulatione constantibus, quæ aut certorum corporum sonos imitatæ, aut eos quoquo pacto analogis aliqua comparatione applicantes, naturali aut tralatitia onomatopeja res exprimunt, et per aures, quæ iis unice sunt perviæ, species oculis objectas in animum invehant. Sane si quis singularum linguarum verba omnibus protractionibus et additamentis expolianda suscipiat, videbit is nihil tandem superesse præter organicas hasce radices, nativa videlicet linguarum germina, germinibus rerum æque indelebilia ac fœcunda, videbit eas vi vegetabili instructas paulatim succrescere, et incomposita propaginum sylva latissime luxu-

riari; observabit omnigenas linguas vocabulis, derivatione, terminationibus mirifice discrepantes, radicum tamen et sono et sensu, multo magis quam vulgo creditur, esse consimiles, cum plerumque radicales ejusdem organi litteræ nulla re alia, nisi asperiore aut leniore spiritu distent; ita ut parum absit quin ex iis undequaque collectis, adjecta etiam congerie primitivorum vocabulorum radicibus proxime inhærentium, vere naturalem linguam eruere liceat, quæ nuspiam usurpata, ubivis tamen existat, et ut elementa in compositis corporibus latitet: animadvertet denique hujusmodi articulationes peculiari rei connotandæ primum addictas, processu temporis ab singularibus ad analogarum rerum classes et genera esse protentas, ut radices id linguis fierent, quod abstractæ notiones menti, commune videlicet punctum, unde vocabula omnia in familias distincta divergerent, quemadmodum abstractæ ideæ commune sunt centrum, in quod omnes analogarum idearum quasi radii convergunt.

EXORDIUM ORATIONIS HABITAE PRO STUDIORUM INSTAURATIONE

Tricesimum jam annum in Græcis litteris tradendis exerciti, et potiores amplissimæ provinciæ partes non otiosis erroribus circumvagati, jamque attactis non semel finibus, jus fasque ducimus nonnihil ad metam subsistentes decursa hactenus spatia respectare animo, et peregrinationis nostræ rationem paucis evolvere, emensa deinceps curricula certiore gressu et molliore itinere remensuri. Relictis ergo, ut rem planius eloquar, molestis Grammaticorum sentisetis, omnem tractationem nostram in duas potissimum partes tribuimus; philosophicam alteram, alteram litterariam, rati videlicet linguarum quotquot sunt omnium peritiam Philosophiæ luminibus et litteraturæ gustu defectam picarum potius et psittacorum gloriam censendam esse quam hominum. Jam itaque naturæ impulsibus cum vocalis machinæ structura comparatis atque compositis, non nulla primum a nobis de naturali loquelæ explicatione, de primævo humanitatis idiomate, de complurium linguarum ad primævæ titulum obtinendum supposititiis aut speciosis nominibus, exercendi magis quam pronunciandi judicii

gratia, disputata. Tum illud commonstrandum sumpsimus, duplex apu d quosque populos extitisse loquelæ genus, et varie sucessu temporum pro mentis habitu invaluisse, quorum alterum corporeum, ration ale alterum rite appellaveris, illud sponte ex actionis lingua subolescens, et sensu quodammodo insculptum sensus alloquitur, hoc ex mentis evolutione lente profectum, idearum signis et compendiis distinctum, sese tantum intelligentiæ commendat, poeticam ex eo emersisse linguæ formam, ex hoc philosophicam, quæ tamen processu temporis ex assiduo rationis et vitæ usu in populi nec sentientis ore communi sermone proteritur, dum poetica species primævæ origini adhærens inter phantasiæ et affectuum æstus nullo Musarum auxilio passim erumpit: deinceps linguarum ætates, blæsam infantiam, fervidam adolescentiam, effetum senium, pauperiem, opes, luxum, vices, morbos, interitum eorumque causas irrepentes aut irrumpentes digessimus: postremo de arcana inter linguarum indolem et physicam ac moralem populorum constitutionem harmonia, deque variarum gentium moribus, usibus, opinionibus ex litterarum compositione, syntaxeos structura, vocabulis, translationibus, derivatio-

nibus, peculiari certarum loquutionum gratia sagaciter provideque eruendis non perfunctorie disseruimus; quæ omnia quam amplam, frugiferam, alendis ingeniis aptissimam notionum et doctrinarum silvam ex sese effundant, nemo cui cor sapiat non facile per se ipsum intelligit.

Hæc exsequuti, et ad alteram tractationis partem accedentes, incerta primum atque ancipiti Græcæ linguæ origine investigata, eam ab Phænicia nequaquam inflexam ac derivatam, ut nonnullis visum fuerat, ex intrinsecis utriusque linguæ notis evictum dedimus; neque tamen, in Græcorum lingua non aliqua Phænicii idiomatis vestigia satis expressa deprendimus, usque eo ut complures Græcanicas fabulas ex prava Phæniciarum dictionum pronunciatione et præpostera interpretatione prognatas, sua illa mirifica specie prorsus exuere, et ad simplicem veritatis sensum revocare, Bochartum ducem sequentibus, non sine grata admiratione licuerit: atque in ea disquisitione juvit aliquandiu in utilissima Ethymologiæ arte tum defendenda tum illustranda immorari, et solidiores ejusdem canones in lucem proferre, quibus ad hæc ferme tempora vulgo ignoratis ars omnis ab sequioris notæ Gram-

maticis male mulcata ac distorta cordatis quidem, non satis tamen eruditis ac sagacibus, ludibrium debuit. Illud porro reputantes linguas et litteras mutuis officiis sese expolire ac perficere, ad earum incrementa explicanda consultissimum visum est, si trium eloquendi artium, per quas Græcorum nomen altissime eminuit, philosophicam atque eruditam historiam persequeremur, adeoque universo Græcorum ævo in tres ætates tributo, et singulis peculiari eloquentiæ specie subjecta, statuimus de nobilissimis in unaquaque scriptoribus censum agere, neque ingeniorum modo sed et animorum exhibere imaginem, itaque narrationem nostram pertexere, ut litteraria ac civilis Græcorum historia, et altera alteri, et utraque conjunctis luminibus, tum solidioris eruditionis tum sanæ rationis progressibus facem præberet.

Habetis indicata raptim summa ac potissima earum rerum fastigia quas publicis acroasibus delibandas aut evolvendas suscepimus: quæ dum retractare aggredimur, et aliquid Græcæ linguæ studiis solemni more præfamur, liceat, auditores ornatissimi, in hac tricennali laborum nostrorum instauratione hoc ipso augurali die fausta nobis et secunda præsume-

re vestræ humanitatis auspicia, et securo animo quasi sæcularem hymnum recinere, quem a nobis altera vice recinendum nemo expectaverit.

HOMINES HISTRIONES DIALOGUS

PRÆFATIO

Celeberrimum est Stoicorum effatum stultos omnes insanire. *Quod etsi ego iis non tam facile dederim, ne inter me, nosque omnes, qui, si forte nescitis, eorum judicio stulti sumus, et Orestem, aut Alcmaeonem nihil omnino interesse, acutis hominibus in primisque Dialecticis cogar concedere; illud tamen contra constanter defendere ausim: insanos omnes, hoc est sceleratos, sicarios, veneficos, parricidas, non magis insania, quam stultitia laborare. Non morabor in minutis et singularibus; arcem, arcem ipsam insaniae, orbem scilicet universum, invadam. Nam si quis paulisper oculos non popularium opinionum nebulis hebetatos, sed philosophica luce purgatos, illustratosque circumferat, ejusque multo furiosissimae insaniae, quae dimidiae hominum parti adversus alteram arma dispertiens, totam hanc mundi machinam ferro, flamma, ruinis,*

caedibusque permixtam e suis prope sedibus demolitur, atque convellit, μυστηριωδεστάτας illas, ut vulgus putat, caussas inquirat; eas mehercule nihilo magis serias, gravesque deprehendet, quam illas, propter quas identidem pueruli nostri magno animorum motu rixantur. Ridemus, quum inter Bononienses, et Mutinenses de vilissima situla lignea acerrime pugnatum legimus, quasi Thebani, Trojani, Persici, Peloponnesiaci, caeterorum bellorum fere omnium causa non lignea itidem situla extiterit, colorata fortasse nonnumquam, variegata, inaurata, sed semper situla. Quod quum probe Democritus intelligeret, multo sapientius ob hominum stultitias continenti risu rumpebat ilia, quam ille alter ob eorum miserias inanibus lacrimis contabescebat. Est enim vulgi effectus observare, atque ab iis affici; caussas pervestigare Philosophi. Perbelle tamen, ut mihi quidem videtur, utriusque sententiam conciliaverit, si quis omnem humanam vitam cuidam Tragico-comoediae similem dixerit: in qua universi, quotquot sunt homines, histriones agunt. Duo tantum sunt, in quibus si mortales, quemadmodum in caeteris, histrionibus similes essent, multo

profecto melius cum humanis rebus ageretur. Si siquidem et conditionem suam norunt, et in id summa ope nituntur, ut personam suam quam aptissime, decentissimeque sustineant. Nos contra, neque histriones nos esse suspicamur, et ita inter nos, quis pessime partes suas agat, certamus, tamquam in hac fabula non Roscii, sed Pelliones corona donentur. Atque ad primum quidem quod attinet, id ex quotidianis dictis, factisque clarius apparet, quam ut probationibus nostris indigeat: unam tantummodo praeterire non possum mortalium stultitiam, cui satis pro merito ridendae Democriti medius fidius vix trecenti suffecerint. Operae pretium est animadvertere magnos hosce primarum partium actores, si forte de aliquo minorum gentium histrione, regulo, puta, aut municipali quoppiam nobili mentio injiciatur, ut cachinnent, ut cavillentur, ut eos non modo mimicos principes, sed etiam figulares, et papyraceos appellent, quum ipsi interim de se tertio quoque verbo magnifice jactitent: ημεῖς δ'οἱ μεγάλοι, καὶ παρθεροὶ; ἢ σοφοὶ ἄνδρες: quasi comoedi, qui Venetiis, aút Parisiis agunt, minus idcirco comoedi sint, quam ii, qui Patavii

aut in aliquo minore oppido histrioniam exercent. Hoc praecipue illud est, quod sibi deridendum proponit capitalis ille Anglus in fabula sua festivissimae sapientiae plenissima, qua peregrinationes suas non minus veras, quam vera Luciani historia, describit. Is scilicet quum ad Lilliputianos vento delatus esset, homunculos tam exiguae staturae, ut in eum humi stratum; consopitumque plurimis scalis admotis insiluerint, ita tamen, ut ubi ad ventrem pervenere, non secus ac Poeni visis Alpibus, prae horrore subsisterent, tandem quum post multa passuum millia usque ad os progressi ad immensas narium cavernas explorandas hastas suas earum hiatibus inseruissent, isque ea titillatione excitatus sternuisset, eorum ferme trecentos uno sternutamento difflaverit; nolite quaerere quantopere gloriaretur, sibique ipse placeret. Sed nae illi longe abfuit ista gloriatio, quum paulo post a Brobdignagensibus, Cyclopeae, atque Orioniae proceritatis hominibus, post multas gravesque disputationes, se modo αὐτόματον, *modo* ἔμβρυον, *postremo naturae lusum vocari inaudivit, aut quum a Rege supra mensas vola suspensus est; ubi quum sibi praecla-*

rissime loquutus videretur, maximus primum risus obortus; tum Rex, contemptim simul, et graviter: et tamen, quis crederet? minutula haec, et ridicula reptilia nidulos suos, si Diis, placet urbes vocabunt, leges condent, Reges sibi constituent, bellagerent, verbo sese isti honinum simioli pro hominibus venditabunt. Atque hic quidem exiguo, sed tamen vero, et suo bono, corporis magnitudine gloriabatur; at cui stomachum non moveant bipedales histriones ob comicam schemam paulo speciosiorem, buccas inflantes? quam si illis demas, non aliter eos plerumque a caeteris differre videas, ac muscae illae χρυσοπτέρυες, quae fimeta et sterquilinia omnium suavissime depascuntur. Admoveamus igitur eorum oculis lucidissimum rationis speculum, ut in eo se, veramque suam formam agnoscant implumes isti bipedes, positoque, si fieri potest, supercilio, unum hoc deinceps serio agere incipiant, ridere.

HOMINES HISTRIONES

DIALOGUS (1)

CHARON, PLUTO, BOMBOMACHIDES *Rex*, ONOGENNADA *Nobilis*, LIROPOLHISTOR *Eruditus*, PITHECION *Poeta*, BATTOLALUS *Orator*.

CHARON.

Ecce tibi, Pluto, histriones aliquot, qui peracta in terris fabula sua ad nos venere. Sed hic quidem machærophorus etiam apud nos satis odiose paratragædat, qui balistas et catapultas et nescio quas militares nugas crepare numquam destitit: ac nisi ego illi conto hoc meo caput demulissem, næ is ipsos mortuos suo odio enecasset.

BOMBOMACHIDES.

At ita me amet machæra mea, nisi mihi de te supplicium detur, jam ego te frustillatim differam, aut in paludem tuam per caput, pedesque præcipitem dabo.

PLUTO.

Hui! hui! bona verba, bellator; nos hic

(1) Dialogum hunc prima aetate auctor conscripsit cum in celeberrimo Seminario Patavino humaniores litteras profiteretur.

subterranei, si nescis, pacatissimi sumus. Sed per istam, quam tantopere diligis, macharam tuam, possumus ne scire ex te, quis, aut cujas fueris?

BOMBOMACHIDES.

Ludis, me, Pluto: qui potest tibi uni ignotus esse Bombomachides Perseptolum rex, belli fulmen, orbis terror, qui quingentas opulentissimas urbes expugnavit, octingenta hominum millia occidione occidit, universam Gurgustidoniam, Anemoliam, Nephelococcygiam, oppidis compluribus solo æquatis, in suam ditionem redegit?

PLUTO.

Acerbissima, opinor, ab iis nationibus injuria lacessitus.

BOMBOMACHIDES.

Nulla hercle vero.

PLUTO.

Nulla? Cur igitur in eas tam atrociter sævire ausus? Quo jure?

BOMBOMACHIDES.

Imperatorio.

PLUTO.

Pol ego prædatorio putabam. Quid? Num ne tibi, histrio nequissime, scenica hæc ornamenta ab Tooe chorago tuo commodata putas, ut prædonem, an ut Regem ageres?

BOMBOMACHIDES.

An non isthuc regium est, imperium suum quam longissime, latissimeque protendere?

PLUTO.

Minime, gloriosissime trifur, sed suum probe regere, et ab alieno mentem manumque abstinere.

BOMBOMACHIDES.

Rusticus es, Pluto, nec quidquam habes vere basilici spiritus.

PLUTO.

Mane, mane, jam sumpsero. Unum responde: si privatus nulla affectus injuria privatum aggrediatur, atque expoliet, quem tu illum dixeris?

BOMBOMACHIDES.

Grassatorem.

PLUTO.

Quid si rex regem?

BOMBOMACHIDES.

Generosum, gloriæ cupidum, vereque Regem.

PLUTO.

Perplacet distinctio. Ausculta modo: tu certe rex es.

BOMBOMACHIDES.

Omnium maximus.

PLUTO.

Ego quoque, nisi tu ne vis, rex sum.

BOMBOMACHIDES.

Me quidem aliquanto inferior.

PLUTO.

Eo igitur majore gloria mactus fuero, si de te tanto rege spolia referam. Heus, heus, Syopa, Melampyge, Cercoceros, arripite istum medium, omnique comica schema spoliatum, Anemoliorum, Gurgustidoniorum, et Nephelococcygum manibus dedite, qui hanc Imperatoriam pygam alternis ictibus tam basilice accipiant, ut eum ex Bombomachide Bombopygidem reddant: tum quando militari bombo delectatur, ex ejus corio detracto tympanum fiat. Satin' tibi videor ex schola tua de regali gloria profecisse?

CHARON.

Hem! Quid taces? Non tu scis, *saepe et magistro discipulus praestat suo?* Quid restitas? quid circumspectas? Age age, badiza sis, aut ego jam tibi conto hoc meo pro Plutone minerval solvam.

BOMBOMACHIDES.

Necdum apparent legiones meæ?

CHARON.

Præi, præi modo, mox tu illas stratiotice convocabis.

ONOGENNADA.

Enimvero, Pluto, satis familiariter mecum agunt umbræ istæ tuæ. Quid est hoc? Ea dignitate homo ad vos venio, nemo mihi occurrit, nemo decedit de via, nemo caput aperit.

PLUTO.

Mi homo, Anticyram te devectum oportuit, non ad nos: sanun' es, qui tibi nocturnos istos ludos fieri postules hic præsertim, ubi totum ambitionis humanæ choragium una ramenta plumbea non vendites, quippe cum omnes eodem ordine censeantur?

ONOGENNADA.

Eodem ordine? bene hercle agitur cum stemmate meo, si non ab reliquo umbrarum grege secernitur Onogennadas Heraclidarum millesimus.

PLUTO.

Papæ! crassam, et ponderosam molem nobilitatis?

ONOGENNADA.

Rides? atqui ego jam proferam testamentum autographum ipsius Herculis datum Oetæ, membrana exaratum, litteris Eothicis, semirosis, quod ab antiquariis singulis diebus summa religione visebatur.

CHARON.

Scrupulus unus me angit, Pluto: Hercules, si meministi, leonina pelle indutus ad nos descendit; at hic ejus nepotulus asinina magis delectari videtur.

PLUTO.

Isthuc jam clarius apparebit: hoc mihi expedit, mores ne tui tantæ nobilitati responderint?

ONOGENNADA.

Prorsus examussim: nam in medios ferme dies dormivi, et id, quod ex iis supererat, in Thermopolyis consumpsi decussatis cruribus, graviter pendiculans, et excreans magnifice: tum pervigiliis nocturnis assidue vacavi, alea strenue lusi, æs alienum semper fidelissime ære pugneo dissolvi, neminem resalutavi, a litteris non minus, quam ab aqua religiosissime abstinui. Quid quæris amplius?

PLUTO.

Nihil sane: sed quid ais? tibi ne ista Herculea videntur?

ONOGENNADA.

Illud de litteris planissume: nam me inaudire memini Herculem Lino magistro suo cytharam capiti illisisse: cætera Herculea sint, nec ne ignoro: hoc certo scio, hæc germana esse nobilitatis insignia.

CHARON.

Phi, phi!

PLUTO.

Quid est, Charon?

CHARON.

Hic impuratus totum os mihi pituita opplevit.

PLUTO.

Tace sis: fortasse et isthuc Herculeum erit, nisi forte tibi hoc modo naulum solvit. Nunc mihi viatorem arcesse, ut eum in fustitudinas ferricrepinas insulas abductum Iro Dulichio in servitutem dedat, qui ei quotidie proavitum insigne robustam clavam tam alte tergori insculpat, ut in eo semper vestigia nobilitatis appareant. Sed quinam sunt isti qui mussitantes procedunt, meque, ni fallor, nescio quo vitro conspicantur?

LIROPOLHISTOR.

Χάιρε τρισμέλαινα καιφαλὴ.

PITHECION.

Di tibi dent annis Pyliam superare senectam.

BATTOLALUS.

Battolalus Orator Plutoni Prætori salutem plurimam dicit. Si vales bene est, ego valeo.

PLUTO.

Non nimium tu quidem cerebro, ut apparet: at quos tandem vos esse dicam?

LIROPOLHISTOR, PITHECION, BATTOLALUS.

Litteratos.

LIROPOLHISTOR.

Ita sane, Pluto; at ego pace istorum dixerim multo omnium litteratissimus. Nam oculari vitro tota vita usus sum, lentissime ut pomparum ferculum semper incessi, nulla de re hæsitavi, trecentos librorum titulos uno spiritu effudi, sermones meos exoticorum scriptorum verbis, et sententiis infersi.

PLUTO.

Quæ scilicet in rem bellissime caderent.

LIROPOLHISTOR.

Minime: nam istud quidem etiam idiotis proclive. Illud est vere eruditi ea proferre, quæ et ferme nihil rei, et nihil omnino loco, et tempori congruant; in quo (præfiscini) sane mirificus fui. Quid multa? Litterariam rempublicam auxi voluminibus decem, longis cubitos quatuor, profundis tres; scriptorum veterum locis tam lepide tessellatis, ut vere gloriari possim decem isthæc volumina vix decem lineis de meo mihi constare.

CHARON.

O fortunatas tineas, quæ tali sapientia saginabuntur!

LIROPOLHISTOR.

Atque eorum perdito amore captus bibliopola viginti jam annos recondita in angulo tabernæ suæ diligentissime custodit, negatque ea se ullo pretio venundare posse.

PLUTO.

Sane sapit: agunt enim de rebus exquisitæ doctrinæ plenissimis, scituque dignissimis.

LIROPOLHISTOR.

Imo vero pernecessariis. De barba Socratis, de subucula Platonis, de femoralibus M. Tullii, de vomitione, sternutatione, emunctione, exscreatione, eructatione veterum Græcorum, et Romanorum; tum insunt *μυζυκώτατα* quædam de sellis, et matulis.

CHARON.

Cur non etiam de iis, quæ in sellis, et matulis fiunt?

PLUTO.

Abi igitur Elysios, ibique veterum sellis, et matulis repurgandis operam tuam navato.

PITHECION.

Plutonem tenerae dicite virgines;
Latrantem pueri dicite Cerberum,

Megaeramque nigello
Dilectam penitus Jovi.

PLUTO.

Ecce alter Orpheus.

PITHECION.

Noris nos, Pluto: sumus Arcades.

PLUTO.

Quid tum?

PITHECION.

Soli cantare periti Arcades.

PLUTO.

Haud scio an potius rudere, si tui omnes similes sunt. Quid ego hoc stulto faciam? nisi si illum non asservo, ut cum Megæra Cerbero nupserit, epithalamium conscribat, et de filiorum fortitudine, et litteratura aliquid vaticinetur.

CHARON.

At, at, Pluto, amabo, hunc hominem mihi addicito; nihil mihi feceris gratius.

PLUTO.

Quid tibi illo opus est?

CHARON.

Ego quoque, ut nosti, vates sum.

PLUTO.

Quam saepe summa ingenia in occulto latent! Non pol animadverteram.

CHARON.

Oblitus ne es illud pulcherrimum, *cra, crati, trasnot?*

PLUTO.

Nunc succurrit.

CHARON.

Ejus farinæ multas ego carminum myriadas habeo, Poemata, Sylvas, Idyllia, tum quædam celeusmata nautica miræ venustatis. Sed quia Tartarea lingua scripta sunt, nec a quoquam mortalium intelliguntur, adhuc inglorius latui. Nunc iste ea mihi latinis versibus reddet: atque ego illi pro mercede ex obulis, quos nauli nomine accipio, decimam dabo.

PLUTO.

Num tu illa igitur edere cogitas?

CHARON.

Quippini? certe, ut audio, apud mortales nulla annona vilior est, quam scriptorum. Quid superest nisi ut Charon Poeta ipse quoque aliquid edat typis Plutoniis?

PLUTO.

Vera dicis.

CHARON.

Qui scis, an et ego ab aliqua Italiæ Academia Diploma laureatum accipiam.

PITHECION.

Nihil facilius; unum modo Philippeum nummum exsolve; jam faxo Daphnerisbus, aut Tisoates aliquis audias.

CHARON.

Hoc modo non ego, sed nummus ille Philippeus Academicus erit.

PLUTO.

Vos hæc otiose inter vos componetis. Sinite me nunc cum tertio hoc litterariæ reipublicæ columine paulisper fabulari.

BATTOLALUS.

Cogitanti mihi, Pluto pater, *ac memoria* Tartara *repetenti*, *quamquam mihi semper frequens conspectus tuus multo jucundissimus;* hoc autem gurgustium *ad agendum amplissimum*, *ad dicendum ornatissimum semper visum fuit:* tamen *si quis* tui Pluto *aut eorum*, *qui adsunt forte miratur me*, *qui tot annos* inter vivos *versatus sum*, *repente nunc mutata voluntate* ad inferos *descendere*; *is si* mortis vim, et naturæ necessitatem *cognoverit*, *simul et id*, *quod facio*, *probabit*, et in eloquentia *neminem mihi esse praeponendum* oratorem *putabit*.

PLUTO.

Jupiter! Ego! Dii superi, inferi, medioxumi! Quænam hæc est nugideliriloquentia!

BATTOLALUS.

Calepine tuam fidem! verbum Tartareum.

PLUTO.

Undenam istam tu loquendi sartaginem exhausisti?

BATTOLALUS.

Ex Marco Tullio Cicerone.

PLUTO.

Mentiris impudentissime. Nam ego me Ciceronem audire memini sapienter, et præclare loquentem.

BATTOLALUS.

Præclare: quis negat? Sed præclarius quam ego, fieri non potest. Hæc sunt enim elegantissima Ciceronis verba a me tamquam flosculi excerpta, non sine ope doctissimi cujusdam scriptoris, cujus pretiosissimum librum, auroque contra æstimandum mecum attuli, ut tibi, nisi gravaris accipere, dono darem.

PLUTO.

Librum Plutoni! munus sane novum: tamen videamus.

BATTOLALUS.

Eccillum: Marii Nizolii Lexicon Ciceronianum.

PLUTO.

Satis mihi est muneris tui: tibi habe tuas

PLUTO.

Pergin molestus esse?

BATTOLALUS.

Si nescis hæc periodus quadrata est, fusa, rotunda, volubilis.

PLUTO.

Enecas.

BATTOLALUS.

Sine te exorem, Pluto: duo tantum postrema verba proferam.

PLUTO.

Ne unum quidem.

BATTOLALUS.

Esse videa ....

PLUTO.

Ah! occludite os huic mastigiæ libro illo suo, atque hinc actutum extrudite.

CHARON.

Quo illum abduci jubes?

PLUTO.

Quocumque tandem, dum e conspectu quam citissime auferatur.

BATTOLALUS.

Quonam meo fato fieri dicam, manes *conscripti, ut* ....

PLUTO.

Adhuc blaterat? nondum illi faucespraeclu-

sistis? Factum bene: siluit aliquando: spiritum recipio. O pessimos histriones! Quemquam ne adhuc reperire potui, qui, quæ persona ipsi sustinenda esset cognosceret? Hæccine est igitur, mortales, potentia, nobilitas, sapientia vestra?

INDEX

LIBRI

RECENTEMENTE PUBBLICATI

DA

MOLINI, LANDI, E C.°

CODE NAPOLEON: magnifica edizione in foglio, in carta velina, tirata a sole 121 copie, di cui 5 di scarto, col Ritratto di S. M. inciso superiormente da Morghen; Prima Dispensa, contenente i due primi Libri (4 luigi) . . . . *Paoli* 170

„ (La seconda ed ultima dispensa è sotto
„ il torchio, e costerà Paoli 85. Le prove
„ del Ritratto sono le prime tirate avanti
„ lettere, e non hanno che il solo NAPOLEON
„ scritto alla punta.)

-- Lo stesso in carta velina doppia, co'Ritratti avanti tutte lettere, di cui non si sono impressi che 12 esemplari, il doppio dell'altra.

-- Lo stesso in carta bleu bellissima di Annonay, di cui non si sono impresse che 3 copie, e Ritratto come sopra, il triplo della prima.

-- Unico esemplare in carta aperta velina, il disegno del Ritratto, l'acqua forte, e quattro prove diverse . . . .

Il solo Ritratto avanti lettere, di cui pochissime copie rimangono 100

Buone prove con lettere 42

Marulli, dell'Architettura e della Polizia delle Città; bell'edizione in 4.° tirata a soli 125 esemplari, con 9 vignette e tre tavole in rame 20

Tables Abregées et portatives du Soleil etc. par le Baron de Zach; elegantissima edizione 4

-- In carta velina 6

Tables abregées et portatives de la Lune, par le même etc. ediz. come sopra 6

-- In carta velina . . . . 10 ½

Opere di Scultura e di Plastica d'Antonio Canova, descritte da Isabella Albrizzi, in carta massima velina, col Monumento dell'Emo, inciso a bulino, magnifica edizione di cui non si sono impressi che 160 esemplari tutti numerati, de' quali non son vendibili che 50 dal N.° 110 al 160. 42

-- Le dette in 4.° in carta velina, elegantissima edizione co' caratteri di Didot, col Monumento suddetto. 15

-- Le dette in 8. piccolo in carta velina, col Monumento sudd. 6

Della Patria di Cristoforo Colombo, Dissertazione del Cav. Napione, con Documenti, Osservazioni, ec. e il Ritr. di Colombo 8.° 8

-- Aggiunta, ove si parla del primo Scopritore del continente del nuovo mondo . . . 3

-- Le dette in carta mezza reale 14

Cesarotti, i Tomi 29 e 30 delle opere, cont. le Prose varie, in 8.° a prezzo d'associazione . . 13

Tiraboschi, Storia della Letteratura Italiana, il Tomo 14, prezzo detto 5

Alfieri i Tomi VII e VIII delle Opere, che sono i due della Vita, in carta reale 41

-- In carta velina 82

(Queste opere si vendono ragguagliatamente al prezzo di paoli 8 per ogni 100 pagine in carta reale, e il doppio in c. velina.)

Biot, Aritmetica, seconda ediz. eleg. in 8.° in buona carta . . . . 3 $\frac{1}{2}$

Rosini, Orazione Inaugurale agli Studj nell'Università di Pisa per l'anno 1809, in 4.° in carta velina 3

-- Detto in 8.° 1

-- Della Necessità di scrivere nella propria lingua in 4.° carta reale 3

-- Detta in 8.° 1

-- Lettere Pittoriche sul Campo Santo di Pisa, 4.° con 6 vignette, parte prima, (saranno tre parti) 5

-- Dette in carta velina 10

SOTTO IL TORCHIO

Ariosto, il Furioso, magnifica edizione in fol. col Ritratto inciso da Morghen (simile al Dante, Petrarca, e Tasso) in carta reale, Tomi 5, per ogni tomo 80

-- In carta velina 160

Alfieri Tragedie, ediz. simile alla Vita, co' caratteri di Didot; al prezzo d'associazione. Se ne tirano varj esemplari in buona carta comune, e si venderanno la metà, cioè dagli 80 ai 90 paoli per i sei volumi, col Ritratto superbamente inciso da Cantini, scolaro di Morghen.

Cesarotti, le Prolusioni Latine.

Cronologia adottata nell'Impero Francese per i Licei; prima trad. Italiana (sarà in luce in breve.)